














REVERENDI

GALENI PE

IVS

opere

tis Ioa

co in

ill

Collins Derivs

Vivitur bene cui paternum splendet in mensa tenui salinum

2535/A

22 91

4 B

Book of Prints 31

Mmud

2535/A

A. XVIII. g

CLAVDII GALENI PER GAMENI ANTIDOTARIVS LIBER

ber per tot sæcula ab omnibus magno opere desideratus, in gratiam magni antistitis Ioannis Choyennij episcopi Plocensis è Græco in Latinum traductus, et Commentarijs breuibus illustratus à Iosepho Struthio Polono publico tunc artis medicæ Patauij professore.

Galeni Astrologiæ ad Aphrodisiũ liber unus.

Galeni de Vrinis Liber unus.

Eodem interprete.

VENETIIS M D XXXVI

REVERENDISSIMO IN
Christo Patri domino domino Ioanni
Choiennio Dei gratia Episcopo
Plocensi studiosorum patrono
& Mecœnati, Iosephus
Struthius. S. D.

QVO tempore tu primum nouo & amplissimo honore auctus fueras præsul amplissime, dum in episcopatum Plocensem Andreæ Critio antistiti nõ minus de religione Christiana quàm de literis bonis bene merito succederes, eodem ego diuinum hoc Galeni opus tot sęcula magno opere desideratum tibi latinum donare constitueram, ut hoc pacto non solum uerbis sed etiam opera qualiscunq; mea gratulando me officiosum tibi præstarem ut debebam. Quod autem nec uerbis gratulatus sim, nec te libro donauerim in causa est primum quòd non satis maturum illum fuisse putabam, deinde uero quòd sciebam te illo tẽpore tam charas & suaues gratulationes sensisse, tot & tantos gratulatores habuisse cuiusuis

ordinis uiros, principes, episcopos, senatores, doctos quosque & præclaros homines, ut mihi tunc locus non fuisset ne quidem conspiciendi te si coram adessem, nec porrigendi tibi quicquam si aliquid ad te misissem, scio enim quanto tunc animorum feruore ardebãt optimi quique ut studium erga te suum quilibet pro se tibi cõmonstraret. Erant tum qui te Mecœnatem salutarẽt, propterea quod tanta à te acceperint beneficia quanta Virgilius à Mecœnate, & tantum præsidium ac tam dulce decus illis sis quàm fuerit Horatio Flacco Mecœnas. Aderant alij & hi quidem qui exploratum habent quantum roboris reipublicæ Polonæ in tuis humeris sit repositum, & quàm multa erga illam tua extent merita, te patrem patriæ proclamarent. Non deerant qui te Thomitium (qui infra paucos menses post innouatum honorẽ tuum mortem obierat) uiuis restitutum esse dicerent, idque ob diuinarum humanarumq; legum solidam quę in te est scientiam, excellẽtem in rebus agendis prudentiam, in persuadendo magnam vim, nec minorem in loquendo gratiam, admira

bilem in conciliandis hostium animis industriã, in dandis consiliis summã sapientiam, has enim eximias in te uirtutes qui recte perpenderit merito te Petro Thomitio comparabit aut etiam anteponet. Ego quidem id sentio (& mecum boni omnes) qui utriusque uestrum, illius quidem iam mortui duraturam perpetuo, tuã uero qua uiuus adhuc perfrueris nunquam morituram gloriam iustissime uellet depingere, eodem penicillo id debere fieri, iisdem lineis, iisdemq; coloribus. Pius es erga tuos ut erat ille, affabilis omnibus ille ut es tu, uterq; intrepidus in dicenda ueritate, patiens in exantlando labore, constans in exedendo odio, imprefractus ad terrores, paratus magis ad honestum quàm utile, difficile magis quã ad facile sed indecorum negociũ. Ac non uereor quum referam quid de te probus quilibet dicat & sentiat ne assentatiuncula quadam aucupari tuam gratiam uidear, neq; enim tu is es qui quis sis nescias & qui non eos magis qui te non admirantur maleuolos quã eos qui te laudent assentatores arbitrere, nec ego is sum qui hæc scribam ut te tibi aut aliis cognitum fa

ciam; quum de te qualis sis apud omnes iam liquido constet, sed ut ostendam inter tot tantorũ uirorum gratulationes meam futuram fuisse obscuram, meum munusculum futurum fuisse leuioris momenti illo tempore quo primum in episcopũ Plocensem creatus fuisti, solent enim ut aiunt philosophi maiores motiones expellere minores aut obscurare. Nunc post illos applausus tanto temporis spacio decurso, antidotariũ Galeni aut si mauis sacram periclitata ualetudine anchorã primum tibi do, dono & dedico, primum tibi gratulor lætor q; presenti & sperata tua dignitate, quam ut superi tibi fortunent exopto, qua ut sanus ualensq; diutissime fruaris cupio, nec cupio solum sed adiuuare te, quandoquidem tuus sum medicus, conor quãtum poßum. Persuasum tibi habeas optime antistes habiturũ te ex hoc libro tam pro tuenda sanitate quã pro abigendis morbis acerrimis bonorum principũ hostibus non qualiacunq; præsidia, non traduntur hic medicamenta quę uel temere effiсta uel recens inuenta sint, sed quæ à summis artis medicæ authoribus reperta, iudicio eorundem pro-

bata, plus duobus milibus annorũ à medicis tẽtata explorataq;, ab Augusto, Adriano, Anthonino, Traiano imperatoribus ĩ usu habita sunt magno precio & multis ꝑcibus, sunt nõnulla ex ijs quę centum drachmis Atticis, alia sexcentis emebantur, sunt quædam quæ ipsimet imperatores suis manibus cõficere fuerant soliti, tibi per me licet dignissime præsul amicis tuis & Christianis omnibus hæc facere communia, quibus non sine maximo salutis suæ detrimento hucusq; caruere. Vale fœlicissime. Venetijs Anno salutis nostræ. M. D. XXXVI.

EXCELLENTISSIMO PHI losopho & consumatissimo medico domino Francisco Phrigomelio ordinario & fideli artis medicæ Patauij professori, Iosephus Struthius Polonus.

S. D.

QVādoquidem uisum est tibi ædendum esse in publicum librum illum antidotariū Galeni quem ut toties scriberetur & rescriberetur amici nostri cōmunes à me sedulo ut scis eflagitarunt, esto ut tibi libet, ego iam nihil moror, commouet me ut ne illum diutius celem, tum authoritas tua uiri quippe post Ioannem Manardum & Mathæum Curtium in doctrina Hippocratis nostra tempestate doctissimi & exercitatissimi, tum uero publica studiosorū utilitas. Scito tamen me illum nequaquā adhuc fuisse æditurum, nisi timerem studiosos facile posse impingere in traductionem quæ nunc primum Venetias peruenit Andernaci illius de quo in Italia inter doctos cōmune fertur illud quod nosti prouerbium, loquitur de cepis ubi Galenus de allio. Nollem librum hunc Galeni

ita parui uſus apud ſtudioſos fore ut ſunt libri il
li ſeptem de compoſitione medicamentorum ~~ca-
tageni~~, tranſlati ab Andernaco, quem toties
execrantur lectores quoties ipſos legunt. Quid
uir ille in transferendo animi habeat neſcio, hoc
unum ſcio quod à Germanis popularibus eius
didici, hominem eſſe præcipitem, adeò, ut ſtans
pede in uno centum exponat paginas, ad hęc pa
rum liberalem ut qui in comparandis græcis ue
tuſtiſſimis & optimis codicibus magnos ſum-
ptus facere aut nolit aut nō poſſit. Vtcunque eſt
optarim una tecum ut ſi non plures ſaltem li-
bros illos de medicamentis ~~cata geni~~ ſeptem
(quibus certe nemo bonus medicus bene carere
poteſt) quiſpiam meliore fide latinis hominibus
legendos exhibeat. Quod librum hunc meum
attinet adiunxi illi breuiſſima ſcholia ad quę ſcri
benda tu me es toties adhortatus, pauca ſunt qui
dem ſed tamen omnia ut opinor quę in libro
ſunt obſcura declarant, ſi modo quis ea ſingulis
locis difficilioribus accommodet, nos enim non
repetimus circa ſingulas antidotos ea quæ ſe-
mel ante diximus, lectori id curandum reliqui-
mus

mus ut si quid alicui antidoto deesse uiderit ad alia aliarum antidotorum scholia recurrat. Debes tu huic libro aut potius liber hic tibi debet multum, tu enim præter cæteros ei constitutos doctos & æquos iudices fuisti illius censor acrior & diligentior, quare ut etiam tutor eidem sis & defensor ius & ratio ipsa postulat. Vale uir eruditissime & me amicis nostris communibus commenda, præcipue Hieronymo Coradino fœlicissimo Galeni imitatori. Venetijs. M. D. XXXVI.

(8 2 3)


2

GALENI DE ANTIDOTIS LIBER primus Iosepho Struthio Polono Interprete.



EA quæ affectibus malis medentur remedia, non ea quidem quæ extra applicantur sed quæ intro in corpus aſsumuntur ſolent medici uocare antidotos, quarũ tres ſunt differẽtiæ. Aliæ enĩ antidoti ſunt quæ aduerſus exitioſa uenena exhibentur, aliæ quæ aduerſus uenenatorũ animaliũ morſus, aliæ quæ aduerſus morbos praua diæta genitos. Sũt uero nõnullæ antidoti quæ omnium harũ trium utilitatum nomine cõmendãtur, qualis eſt & ea quæ uocatur theriaca compoſita olim ab Andromacho medico quæ tamen iam negligitur, loco eius eſt ea quã medici etiam a nomine cõpoſitoris Mithridation nominant. Mithridates enim quemadmodum & noſtro tempore Attalus maximam nauauit operam cognoſcẽdis ſua experientia omnium fere ſimplicium medicinarum quæ uenenis reſiſtunt uiribus, faciens periculum in flagitioſis hominibus qui mortis cõdemnabantur. Ex ijs igitur alias reperit phalangiorum ueneno proprie congruere, alias ſcor-

Hoc loco Andernacus uolens emendare græcum ſuum codicem falſo quædam addidit de Mithridatio.



pionum, uiperarum alias, aconiti alias, leporis marini alias, atque in uniuersum aliam alij esse propriam, mixtis tandem simul omnibus effecit Mithridates antidotũ unam de qua sibi persuasit futuram eam esse ad omnia uenena praesentaneum remedium. Successu temporis tandem Andromachus Neronis medicus appositis non nullis detractis etiam non nullis fecit theriacam uocatã antidotum, adiecta non modica carne uiperina qua carebat Mithridatica antidotus, & propterea hæc ad uiperarum morsus melior est quàm Mithridatica, ad alia autem nõ item, immo aptior est ad quædam Mithridatica. Non eandem autẽ uim antidoti obtinent acceptæ ante uenena & post uenena, q̃ enim quãtitas earũ pseruare potest a uenenis ea quadruplo aut quintuplo maior aßumptis iam uenenis si iuuare uoles exhibẽda est, nec semel uno die sed bis. Si quis etiam singulis diebus antidotum capiat, id quod facere solitus fuerat nostro tempore Aurelius Antoninus imperator, & ipse olim Mithridates, ab omnibus uenenis quæ deleteria uocantur securus & immunis erit. Ferunt

ipsum Mithridatem quum epoto sua sponte ue-
neno mori potius cuperet quàm parere Roma-
nis nullum inuenire potuisse quod ipsi letale es-
set, hæc quidem de Mithridate audiuimus, com
pertum uero nos ipsi habemus Antoninum ut
securum se primum faceret, solitum fuisse acci-
pere quolibet die antidoti magnitudinem fabæ
Aegyptię deglutitam citra ullius rei mixturam
aut aliquando cum aqua aut uino, aut simili epo
tam, quum autem in quotidianis negocijs nimio
sopore illum premi contingeret, papaueris la-
chrimam quam opium uocant ab ea sustulit, rur
sus uero quum accideret maximam noctis par-
tem illum uigilare tum propter cõsuetudidem,
tum quia erat natura sicci temperamenti, tum
quia antidotum siccam longo iam tempore in
usu habebat, coactus est uti theriaca quæ lachri
mam papaueris in se haberet non tamen recen-
ti sed iam inueterata, dictum est autem a me
sæpius huiusmodi inueterata pharmaca habe-
re in se hanc lachrimam mitiorem, erat tunc
Antoninus propter bellum Germanicum ad
Istrum fluuium quo ego proficisci certis de cau-

Vide quo mo-
do hic uerterit
Andernacus
εἰς ἀσφάλειαν
ἑαυτὸν κατα-
σκευάζειν.

ſis nolui. Laudabat autem ipſe theriacam quam Demetrius medicus confecerat, poſt cuius obitum petyt ſcriptis litteris ad Euphratem catholicum (a quo omnes ſimplices medicinas accipiebat Demetrius) ut certiorem ſe faceret quis nam medicorum Demetrio præſens adeſſet dum Cæſaream antidotum componeret, quum uero didiciſſet me circa ſingulas compoſitiones Demetrio ſemper aſtitiſſe, iuſſit ſibi illam a me componi eaque magnopere eſt delectatus, ita ut reuerſus Romam a me percontaretur qua nam proportione ſimplicium medicinarum eam parauiſſem, cui ego rem ita ut ſe habuit expoſui, dixi me neque addidiſſe quicquã neque detraxiſſe, immo more medicorum qui in aula ipſius erant omnia miſcuiſſe, adtulique cauſam propter quam mea compoſitio præter cæteras magis illi placeret, quia uero hic de eadem compoſitione uerba ſum facturus, non abs re memini eorum quæ illo tempore geſta ſunt. Antoninus ut pote qui ſingulis diebus antidoto uteretur cum melle copioſo, dignoſcebat malitiam & uirtutem antidoti, fiunt autem optimæ non ſolum theriacæ ſed & aliæ antidoti om

Multa hic & negligenter et falſo reddidit Andernacus, quæ plura ſunt quã ut in margine adſcribi poſſint, diligẽs lector collatis exemplaribus ſingula perpendat.

ca. 2.m

nes tum propter ualidas uires eorum quæ in mixtionem ueniunt, tum proportionem uirium unius medicinæ ad uires alterius. Multi autem sunt medici qui non norunt quo nam modo omnia singillatim quæ in antidotum ponuntur perpendere & dignoscere oporteat, nec quo usque se uires singulorum extendant, quare neque qualis eorum debeat esse inter se proportio scire unquam poterint, miscent illi aliquando fortissimis ea quæ partim genere partim uetustate imbecilla sunt. Noui quendam qui opium Thebis Aegyptijs aduectum fortissimum theriacæ imposuit effecitque antidotum gustu & uirtute Phylonio simillimam, postea rursus myrrham adijciens sicque fortissima multis debilibus commiscens fecit ut antidotus myrrha præpolleret, commisit eundem errorem quidam alius croco, alius sagapeno, alius asphalto & galbano, aliqui autem duo aliquando tria fortia alijs debilibus miscentes fecerunt antidotum deuictam ijs quæ fortiora imposuerunt. Quod adtinet compositionem si quis semel tantum diligenter oculis suis animaduerterit facile illam addiscet, eas autem

quæ imponuntur medicinas non ita facile quis dignoſcere poterit, oportet non ſemel nec bis nec ter ſed frequentiſſime illas conſpicari ac diligenter opera alicuius præceptoris oſtendentis ſimul & ratione docentis eas quæ optimæ ſunt cognoſcere, qui enim citra oſtenſorem ex libro aliquo in cognitionem earum uenire cupit qualis eſt liber Heraclidis Tarentini, Cratæi, Dioſcoridis, Nigri Iolle, Ruphi Epheſii & aliorum, huic multo maiori labore & experientia opus eſt ad hoc ut ſciat bene dignoſcere bonas medicinas a malis. Solent eas uenditores ita artificioſe aliquando adulterare ut etiam a peritiſſimis & in ea re exercitatiſſimis uix agnoſcantur, proinde optimum eſt in tempore eas comparare per amicum bonæ fidei in regione qua optima quæpiam naſcitur, aut ſemel eò proficiſci & emere quæ ad totius uitæ uſum durare poſſit, durant autem omnes fere metallicæ. Ego ea de cauſa profectus ſum quondam in Cyprum ubi dum haberem amicum quendam qui cum præfecto metallorum Cæſaris familiaritate erat coniunctus, comparaui mihi multam cadmiam, diphryges, ſpodium,

pompholyga, chalcitim, misy, sori, chalchantum, ex Palæstina uero habeo opobalsamū electissimum, asphaltum enim non ita bene quis poterit adulterare, sicut neq; balsami fructus, nec xilobalsamum. Nauigaui quondam & in Lemnon insulam, non alia ita me dij ament de causa nisi propter terram quam Lemniam uocant, uocant eam nonnulli sphragidem, scripsimus de ea satis copiose in nono de simplici medicina libro, quam ita bene fucatā uēdunt aliqui ut nemo possit dignoscere ueram a suppositia, id quod faciūt & Indico lycio, ac multis alijs quæ difficulter agnoscuntur, hæc si quis sibi coempturus est opera illorum id optime faciet qui ad gubernandas regiones illas Roma proficiscuntur aut amicorum si quos habet illius loci incolas, hoc me crebro facere uos sæpe uidistis adportātur mihi alia ex Syria magna, alia ex palæstina, alia ex Aegypto alia ex Cappadocia, ex Pōto alia, ex Macedonia alia, ab ijs regionibus quæ occasum uersus sunt alia, ubi scilicet sunt Iberes, & ex aduerso Iberum Mauri, alias enim esse in alijs regionibus medicinas optimas recte

8. Lege libro secundo multa de ijs.

De hoc lege libro .ij.

Iberes nunc uocātur Hispani.

à Dioſcoride & ab alijs proditum eſt. Nos uero oportet curare, ut eo conſilio quo dixi optimas nobis comparemus, Romæ id tanto citius faciſmus, illuc enim ab omnibus ferè nationibus maxima medicinarum copia ſingulis annis aduehitur, Sunt tamẽ et in Italia nonnullæ optimæ quę ibi aut naſcuntur aut conficiũtur, ſunt non paucæ in Dicæargia quæ nunc Puteoli uocatur, ueluti ærugines, ceruſa, æs, ſquama æris & quædã alia, Romæ eſt lithargyrus, alia quàm plurima uix non ſingulis horis peruehuntur ex Sicilia, ex Libya magna, præcipue æſtate, ex Creta plurima ab ijs quos ibi Cæſar rei herbariæ peritiſſimos ſuos habet, non tantum Cæſari, ſed toti Romæ, plena eorũ uaſa ex uiminibus contexta Romam perferuntur, nec Romam tantummodo, immo ea quæ in Creta naſcuntur ad omnes ferè nationes deportantur, ita ut nulla re quam Creta habeat uſpiam careamus, non hærbis, nõ fructibus, non ſeminibus, non radicibus, non ſuccis, et certe ſingula illinc ſincæra referũtur pręter ſuccos, quos tamen, etiam raro adulterant, quum enim in ea inſula maxima ſit herbarum

copia, non eſt cur mercatores hærbarum illius loci dolos aliquos in tanta ubertate faciant, quòd ſi faciunt pauca fit immutatio, quum ſuccum ab ſynthÿ conficiunt admiſcent aliquid ſucci praſii, aut aliquid ſimile ſed non ita multum. Primum itaq; eos qui Romæ ſunt unguētarios ſeu myropolas qui ſingulis annis plena medicinarum uaſa coemunt erudire oportet, ut ſciant antequã medicinam conſpiciant, qualis eſſe debeat ea quę optima eſt, deinde crebra demonſtratione oſtendere qualem eligere debeant, ita enim fiet ut quum reducant ſibi in memoriam qualem anno ſuperiori emerant, cognoſcant ſemper eã quæ optima eſt & emant. Oportet uerbi gratia illis dicere quod hærbę quæ una cum fructibus adnatis uenduntur meliores ſunt, quæ uberiorem fructum habēt, uirentē, maturum, ſucculentum, longe durabilem, tales enim quis non intelligat meliores eſſe ÿs quæ marcidos fructus habent, paucos, inanes, leues, cito corruptibiles, aſinus procul dubio eſſet qui hæc non perciperet. Hoc idem non difficile eſt guſtu & odoratu dignoſcere, ſi quis modo ſæpius

Hic Andernacus mire tranſtulit uerba græca.

Hic fructus etiam pro ſeminibus ponũtur nam καρπὸς apud græcos medicos et fructum & ſemen ſignificat.

Hic dormiuit Andernacus.

optimas gustet & olfaciat, quanto enim odore aut sapore alia aliam sui generis medicina excellit tanto est melior & ualidior. Eam ob rem & mel dicimus esse optimum quod est cæterorum omnium (omne enim mel dulce est, & acre) dulcissimũ ac acerrimum, proinde & si ex dulcibus uuis mulsum ad mediam aut tertiam partem decoctum dulcedine nihil differat à melle, tamen obtusum id est carens omni acredine seu mordacitate, ueluti aqua, mel autem tale non est, immo acrorem dulcori admixtũ habet. Optimum igitur mel est in quo duæ hæ qualitates præpollent, quæ sunt propria ac intrinseca mellis boni indicia, per accidens autem plura sunt, nempe color, consistentia, odor, continuitas partium, pallidum sit colore, consistentia uerò nec grossum nec turbidum, non nimium humidum ac fluxile, quod si digito attollas delabetur non seiunctim diuulsum, sed continuum ac unitum ueluti uiscus. Non propter hæc quidem mel optimum esse censetur, sed hæc ideo hic à me dicuntur quoniã natura sua mel optimum, hæc accidentia semper sibi adiungit, quæ sunt

Hic negligens erat Andernacus.

indicia bonitatis eius. Dixi uero & non abs re inſpiciendas eſſe frequenter medicinas ſimplices ut ne ex memoria nobis excidat quouſque nam ſingulæ attollantur, aut acredine, aut dulcedine, aut alia quapiam qualitate ſenſibili cuius menſuram certam impoſſibile eſt uerbis exprimere. Eſt & aliud ſimplicium medicinarum iudicium quod à ſola experientia proficiſcitur citra ullum rationis adiumentum, ſic mel Gnidium (quod quis optimum putaret ijs habitis indicijs quę antea dixi ita ut Thaſio atq; Hymettio non uideretur eſſe inferius) malum eſſe iudicatur, dum enim uetus eſt uertitur in uini qualitatem quale eſt & Rhodium. Quidam impoſuit theriacę mel Rhodium, deinde poſt tres annos inuenit theriacam ſapore et odore uino eſſe ſimillimam, quam quum mihi oſtenderet, iudicaui ilico mellis impoſiti uitio eſſe deſtructam, miratus uero eſt ille quòd ita ad rem reſponderem, quem quum adhuc interrogaſſem nunquid illud plus iuſto decoxiſſet atq; deſpumaſſet, faſſus eſt ſe id feciſſe, mihiq; tanto magis mirabatur ac ſi magna atq; ardua me dicen-

Nescio quo modo hic sapere sibi uult Andernacus. Dũ dicit sapiens.

tem audiret, agnouit uero suam temeram inscitiam qui sine ulla ratione ac experientia, sola habita descriptione antidotum componere non fuerit ueritus. Alteri cuidã acidam mihi quam confecerat theriacam commonstranti ac eius rei causam à me percontanti, respondi causam esse quod plus uini quã opus erat antidoto affudisset & illius quidẽ recentis nondum bene defecati, deinde quòd panis non bene pręparati plus etiam fortassis quàm oportuerat carni uiperarum admiscuisset, id quum ille non negaret temeritatis & inscitiæ seipsum notauit, Sciendum autem est eiusmodi uinum iniiciendum esse antidoto quod per experientiam cõpertum est esse intransmutabile, forte ac in multos annos durabile, uina certe debilissima qualia sunt aquosa, aut nimium austera, aut nimium acida, si primo quidẽ tempore acescere incipiant iam talia perpetuo permanent, tempus uero trãsmutationis uinorum aliis est citius, aliis tardius, breuissimum tempus habent ea quæ aquosa sunt, aquosa autem uocantur ea quæ colorem aquæ obtinent, substantiam tenuem, paucam aquam in di-

Hic difficilis est Andernacus.

lutione sufferunt qbus quidẽ hoc peculiare est ut quanto minus caput oppleant, tanto etiam corpus minus calefaciant, coctionem uentriculi & uenarum minus aut nihil adiuuent, nihilq́; nutriant. Talia igitur uina cito inueterescunt, inueterescere autem dicũtur quæ trasmutãtur primũ quidẽ in mordacem qualitatem quæ satis mauifeste corpus calefacit successu autem tẽporis in amarã. Videre tamen est aliquanto & uina aquosa incorrupta permanere idq́; si tribus aut quattuor primis annis acescere non incipiant. Fortia autem uina ea quæ alba sunt & austera & grossa, etiam post decem annos aliquando contingit acescere si non bene seruentur, alioqui bene recondita inueterescunt quidẽ sed post longum tempus, quale est in Italia, Tiburtinũ, Signiũ, Marsum, Surentinũ, Tiburtinũ, quidẽ & Marsum austera quę si improuide seruentur facilius acescent. Signium autem fortius est ijs nec multum acescit, nec ita cito inueteratum redditur. De surentino autem quid dicam quũ illud sciant omnes etiam decimo anno nondum satis bene esse decoctum nec defes

Hic caruit bono exemplari Andernacus.

catum, postea altero decennio in uigore suo permanere, ac longissimo tempore potui esse accōmodum, id maximam aquæ quantitatem in mixtione sustinet, & certe bonitate Phalerno non cedit. In uinis autem aquosis secus est quale est Sabinum, Albanum, Gauriañū quod in collibus Puteolorum nascitur, & illud quod uocatur Amineum in collibus Neapolitanis natū, quod substantiæ tenuitate differt ab eo quod etiam uocatur Aminæum nato in Sicilia & Bithynia, in quibus locis certe raro nascitur uinū aquosum, quòd si nascitur nihilo differt a Sabino & ab eo quod in Asia nascitur Arsinio, & Titacazeno, & ab eo quod apud nos uocatur Tibenū a noīe loci qui appellatur Tibas. Oīa hæc uina facile transmutantur in cōtrarias qualitates acidam scilicet aut amarā, acidam quidē in principio, in amaram autem si longo tempore asseruantur. Multum autem ad alterationē uinorum confert & locus in quo reponuntur, quem in primis oportet esse frigidum deinde uero calidum, aut e diuerso a principio quidē calidum postea frigidum, nam tepidus locus facit

Pulchrum hoc problema est

uina

ut uina

ut uina cito acescant. Si autem reponatur uinũ primis annis duobus & tribus in loco frigido, postea non leuiter id calefacere oportebit, nunquam tamen indigebit loco tepido, seu temperato. Sunt tamen aliqua uina ita debilia & aquosa, ut a principio frigus perferre non possint, propterea pater meus eius rei non ignarus plena uini uasa in calidissimum reponebat habitaculum tegebatq; multa hærba stœbe uocata, sic nullum illi uinum acescebat, omnia tamen apud illum cito inueterescebant, dicam autem & nunc obiter quo modo quis calidum uino locum præparare poterit ita ut pater meus præparauerat. Omnes domus apud nos in uillis fiunt amplę & magnæ, in quarum medio est focus locus ignis, prope domum autem stabula iumentorum in utraque parte sinistra & dextra aut in altera tantum, interius ubi focus est eriguntur furni in ea parte quæ uergit ad comunẽ portam domus, tales igitur sũt omnes domus in agris uiliores, hę autem quę accuratius extruũtur, ad parietem interiorem qui est ex aduerso portæ ubi reponitur tabula circa quam reside-

quod facile explicatur ex libro ij. et. iij. Galeni de simplici medicina.

Stœba non est ea quã uulgus scabiosam uocat, sed potius est phlum siue phleon contra multorum opinionem.

Nescio cur hic Græcæ potius maluit loqui Andernacus quam latine.

tur, ab utroq; latere tabulę habēt cubiculum supra quod tandem eriguntur alia ęditiora habitacula, in circuitu autem multa stabula iuxta tres parietes totius domus, aliquando iuxta omnes quattuor, ex iis igitur habitaculis munitissimum illud est apud quod tabula sita est in quo reponebat uinum pater meus, postea quam in doliis prius eferbuerat, reponebantur autem plena uini uasa primo in loco, ea quę solidius uinum habebant, tandem quæ debilius. Cōmunis autem & aliis consuetudo est, ita calide uina omnia asseruare, commodissima ad hanc rem domus est ea quæ meridiem uersus extructa est à Septentrionali parte bene munita. Est autem apud nos hærba quædam fruticosa ualde, calida, acris & non nihil odoata, uocant eius loci incolę colymbada, aliqui stœbam in seruando uino usitatissima, hac pater uasa uini undiq; circūdabat, perforabat uero partem interiorem illius cubiculi ubi erat uinum, ita ut plurima essent foramina in pariete qui erat continuus magno habitaculo ubi dicebam esse focum & furnum, eam ob rem ut calor in cubiculum facilius per

Pro munita Andernacus nescio cur dicat remota.

netraret, calefacta igitur cella illa uinaria partim à calore maioris habitaculi, partim à stœba non sinebat uinum cito acescere, sic in conseruando uino pater consilio suo & spe nunquam decidit, infundebat autem uinum non in uasa quæ essent uacua sed ex quibus uinũ aliquod uetus iam primum erat effusum. Vidi similem seruandi uini modũ in Italia in uillis circa Neapolim & circa collem illius regionis uicinum qui uocatur Triphyllinus, & ego ipse in compluribus aliis Italiæ locis eo modo uinum calefacere sum solitus. Vinum igitur eiusmodi stabile est, (id est non transmutabile) dolores tamen capitis inducit ob eam quam à fumo cõtraxit qualitatem. Vtendum igitur illo est in compositione pharmacorum non eorum quæ intro in corpus assumuntur, sed emplastrorum & aliorum quę exterius applicantur, in penuria uini optimi, optima uero pro antidotis uina sunt quæ natura sua stabilia sunt inter quæ primas habet Phalermum non antidotorum nomine tantum sed omnibus aliis uirtutibus cõmendatissimum, accipiendum autem illud est quod uetus

Falsę hic transtulit Andernacus aliud enim est uetus uinũ apud Galenum aliud in ueteratum.

ſtatem amarore nondum indicat. Decipiuntur certe quam plurimi qui theriacam conficiunt inycientes antidoto alia quidem uetera uinum uero omnium uetuſtiſſimum, creduut ſe eo pacto obẽperare præceptis medicorum iubentiũ uinum uetus antidotis imponi, ignorant non nulli & quantitatem uini quæ in libris in quibus agitur de compoſitione medicamentorum prætermiſſa ſilentio eſt. Quum autem duo ſint genera Phalernorum uirtute nihil a ſe diſcrepantium, aptius eſt noſtro propoſito hoc quod dulcius eſt, id enim antidotum faciet ſuauem, eſt huic proprium nomen Phauſtiano. Porro quẽadmodum non parum errant illi qui antidotis inyciunt inſtabile uinum & cito aceſcens, quod dum ſolum eſſet fortaſſis uicio careret quia tamen alys quę antidoto apponuntur immiſcetur, ideo ſæpiſſime efficitur acidum, ita non minus peccant aly qui uetuſtiſſimum Phalernum, maxime uero qui & uetuſtiſſimum & iuſto copioſius affundunt, amara enim inde redditur antidotus. Erat medicus quidam qui & Phalernum & mel antidoto infudit uetuſtiſſimum, nec ſine

Hic errauit certo, bono exemplari Andernacus.

Vide num hic poteris intelligere Andernacum ego certe non intelligo

ratione habebat enim alterum mel quod à prin
cipio quidem fuerat optimum tunc uero ef-
fectum aquosum, putabat igitur se commodius
fecisse, quòd mel alterum uetustissimum qui-
dem sed incorruptum, id est non aquosum im-
posuisset, quemadmodum & uinum, nesciuit ue
ro quòd post decoctionem futurum erat ama-
rum (quanuis & ante decoctionem iam erat sub
amarum) omne enim mel uetustum si deco-
quatur fit amarum, nec mirum est quando qui-
dem & citra decoctionem sola uetustate dulcor
mellis in amarorē transmutatur. Accidit quon
dam patri meo hoc idem, mel quòd habebat
quòd ipse aiebat ab initio omnium fuisse opti-
mum quę Athenis reperiri poterant, effectum
est domi suæ non minus amarum illo quod ex
Ponto aduehitur, ubi apes mel ex absynthio
colligunt, in causa erat nimia uetustas, quia ue-
ro hoc nulli medicamento mihi erat idoneum
ideo post mortem patris & hucusq; a me ser-
uatur, est nunc magis amarum quàm prius, est
& magis nigrum, non adeo tamen grossum, re-
spectu aliorum certe multo pulchrius. Circa

Eleuntem Cherronesi ciuitatem ubi restat adhuc monumentum Protesilai reperitur mel, quod omnes uirtutes habet in se mellis Hymettij post annos tamen complures efficitur grossum & turbidum sæpissime. Imponendum igitur antidotis mel est selectissimum Hymettiũ aut Thasium, præter cætera Atticum, quòd si hoc nobis desit, loco eius accipiẽdum est mel ex Cycladibus insulis, est enim illud huic simillimum, in Isthmo insula etiam bonum mel reperitur, uocant illud nõ nulli à loci nomine Isthmiacum, bonum est & Tubreum quod etiã à loco nomen accepit. Tot igitur sunt mellis boni genera, cæterum & in regionibus alijs plurimis fit mel optimum, quia tamẽ paucum est, esu totum absumitur ita ut nihil eius supersit quod ad aliam regionem uendendi gratia deportetur propterea q; ignota est uirtus ipsius, sicut apud nos in regione quæ est inter Pergamum & Elæam ciuitatem maritimam est collis quidam, plenus hærba thymi ex quo optimum mel apes colligunt, ibidem tamen esu ab illius loci habitatoribus absumitur, colles uero quem dixi

Tubreum habet antiquissimus codex.

est a sinistris eunti Elæam a ciuitate Pergami, satis remote distans à uia. Miratus sum etiam bonitatẽ mellis simillimi prorsus Attico in regione nostra in Mysia ad Brittum, licet ibidem non pauca sit etiam praui mellis copia, uerum in eo loco ubi collis quidam est non adeo magnus, lapidosus refertus thymo & origano, ibi optimum mel est. Ibidem sed in altero loco plena sunt prata cytiso, ubi loci illius dominus mel semper habebat dulcissimum atque adeo ut Attico dulcedine præstaret, non est tamen acre, idcirco facile fastidiunt qui illud comedunt, cito enim nauseam excitat si quis paulo uberius assumat, id quod etiam citra experientiam facile intelligitur ex ijs qui naturam cytisi descripserunt, fatentur enim omnes mel ex floribus cytisi collectum si copiosius sumatur nauseam mouere, est autem cytisus planta fruticosa crescens in altum ad magnitudinẽ Myrthi. Vtilissima sunt certe ea omnia quę hucusq; diximus, non solum ijs medicis qui Romæ habitant sed alijs quoq; omnibus sint ubi uis gentium, si enim sciuerint indicia medicinæ optimę,

Hic falsus est Andernaaus.

Falsus hic est Andernaaus nõ enim hic de similitudine lo

quitur Galenus sed de æqualitate magnitudinis.

Hic malo exemplari deceptus est Andernacus.

poterint facile illam ex cæteris aut apud suam ciuitatem, aut aliã s natis pro usu suo semper eligere. Philonium cõpositurus aliquis aut quidpiam aliud ex facilioribus remedijs, non indiget tam multis & ferè infinitis medicinis, at qui Mithridation componere uult aut theriacam, aut aliam operosiorem antidotum huic & plurimis & selectissimis medicinis opus est, quas uix alias poterit commodius comparare præter quam Romæ, ubi ob rerum copiam non solum ab eruditis medicis, sed etiam a miropolis seu unguentariis antidoti conficiuntur, errant quidem omnes, aliqui magis aliqui minus, inutilia tamẽ nõ sunt quæ ipsi conficiunt remedia. Imperante Antonino Cæsare parabatur theriaca plurimis diuitibus atq; adeo ut non sufficerent aliquando medicinæ quæ Romam aliunde adferebantur mirum est quam studiosi erant illo tempore omnes fere diuites in imitando Cæsarem, post obitum illius pauci sunt qui sibi theriacam confici iubeant quemadmodum nec Mitridation. Vt uero Romæ est facilius quam in quopiam alio loco comparare medicinas quasq;

optimas

optimas, ita longe facillimum est illi qui curam habet componendi antidotos Cæsari, is enim in summo optimas semper habet, optimũ scilicet uinum Phalernum, mel Hymettium, opobalsamum Syriacum optimum & copiosum, quod a loco in quo nascitur nomen accepit, uocatur enim Siganum, quod cæteris quæ in locis Palæstinæ nascuntur est multo melius. Cæterum uinum Phalernum si excellit ea quæ in publicis tabernis uenduntur, certe etiam est melius quã AEgyptiacũ. Qui igitur cognoscendarum quę optimæ sunt medicinarum est peritus, Cæsari uero antidotum est facturus, facile optimas quasque in tanta copia eliget, principibus siquidem aduehuntur bonæ & plurimæ, ex bonis uero & plurimis optimas eligere difficile non est. Ego dum id officij apud Cęsarem habebam cognita ætate uini, inscribebatur enim numerus annorum in uasis, uolui gustare uina omnia, ex ijs quæ iam uiginti annos durassent, eligebam uero id quòd nondum quicquam amaroris in se habebat tale enim quo ad ætatem inter uina uetera optimum est semper. Mellis Hymettij ac

Mire hic transtulit Andernacus

pud Cæsarem cellæ erant refertissimæ, cuius usus erat ad tabulam, ex illo eligebam dulcissimum quodq; & acerrimum, tale enim nimium recenti & nimium ueteri multo est melius. Operæprecium autem est non solum medicis qui rerum Cesarearum sufficientissimam habent copiam, sed alijs quoque omnibus, animaduertere id quod iam dicturus sum, sed uereor ne sermo in longum protrahatur. Solet Athenis mel uendi frequenter in quo reperiuntur particulæ quædam non facile conspicuę quoniam in profundo latent, quæ acritudinem non habent alienam a melle, progressu temporis tamen ut reliqua omnia quæ non sunt de mellis substantia ita hæ quoq; in superficie insident, & sunt thyma. Accidit hoc & Romæ sæpius, nisi experti mercatores auferant prius ex melle omnia quæ thymum redolent, sic enim decipiunt plurimos quo minus percipere possint habeat ne mel thymi qualitates ascitas in se, is est ipsorum dolus, tu uero si senseris mel thymum redolere cōijcito dolum esse, mel enim optimum thymi quidem acritudinem præ se fert, odorem tamen

Lege libro Methodi. vij.

eius non exhibet nec ſaporis uehementiam, de bonitate mellis hæc dixiſſe ſufficiat, nam quouſque illud decoqui oporteat dicemus poſtea ubi compoſitionem antidotorum docebimus, de uino iam deinceps dicamus id quod ſuperius omiſimus. Si compoſiturus es antidotũ in Aſia aut in quopiam alio loco uinum uero ei rei idoneum habere uelis, uide ut acquiras id quod colore ſit pallidum (nullum enim uinum nigrũ, nullum album, nullum rubeum pharmaco congruit) ſubſtantia tenue ita ut bene perluceat, ſapore non differat a Phalerno, amari nihil in ſe retinens, non recens tale enim nondum ſatis bene coctum eſt, uerum ego exempla omnium uinorum tibi proponam nominatim. Aſiaticis uinis antequam Romanorum uigeret imperium antequam Phalernum celebraretur, antiqui medici nomina indiderunt propria, ſunt autem tres ipſorum differentiæ, eſt in primis illud laudatiſſimum ab omnibus, quod Ariuſium uocarunt, a nomine ciuitatis quæ eſt in Chio inſula ubi uinum hoc naſcitur, alterum eſt Lesbium nominatum a Lesbo inſula, tertium eſt Tmoli

Neſcio quare hic uermiculum maluit dixiſſe Andernacus quam pallidum

tes, nomen habens collis in quo nascitur, Tmo los enim collis nomen est. Iam ex is quæ diximus constare opinor, quòd ex uinis ijs quæ meliora sunt cęteris eligere quemlibet oporteat optimum & antidotis aptissimum, habitis ijs indiciis quæ antea descripsimus, sicut igitur diximus quando de melle loquebamur, omnia mellis genera fere bona esse quæ in Attica regione nascuntur, ex ijs adhuc meliora Hymettia, Hymetijs adhuc meliora Thasia, ita de uino dicendum est, Lesbij hæc species & forma est, pallidum est, non grossum, odoratum, minime stipticum, leuem in se dulcedinem habens, in hoc genere optimum est quod apud Eressum ciuitatē Lesbi nascitur, & quod apud Methymnam, & tertium quod apud Mitylinam, meliora adhuc ex istis sunt, quæ odore alia sui generis excellūt, quę dulciora sunt, & substantia tenuiore, & hę quidem Lesbij uini differentiæ, Ariusii sunt aliæ species differentes secundum magis & minus, Tmolitis uero sicut & Phalerni duę tantū sunt, alterum enim est dulce, alterum nec dulce nec austerum, sed medium inter dulcia & auste

ra, theriacæ aptius dulce est, non quia uirtutis sit ualentioris, sed quia gustui gratius est, danda enim opera est ut antidotos quo ad fieri potest gustui gratas faciamus, plurima enim antidoti in se amara habent, ueluti Mithridation & theriaca, ex simplicibus enim medicinis omnes (quas, experientia compertum est uenenis resistere) sunt amaræ, id quod declarabimus quando de ipsis sermonem habebimus, Homerus uidetur existimare etiam medicinas quæ dolores curant amaras esse omnes, inquit enim.

Hic in codice græco Andernaci deerat ἅπλα

Radicem apponas dolor hic abscedet amaram.
adtritam manibus

Consulte mea quidem sententia facerent medici si quandoquidem omnes medicinas (quod impossibile est) cognoscere non possint, plurimas cognoscerent, atque eas præcipue quarum usus est frequentissimus, genera earum sunt hæc siue differentiæ, arbores, frutices, herbe, spinæ, suffrutices, quas si a principio dum expululascunt, & in fine dum arescunt cognoscere tentauerint, reperient plurimas certe in plurimis locis, ego in Italia reperi non paucas quas neque

Potuit sciuisse Andernacus ex Theophrasto φρύγανα sarmenta non esse, tolerabilius adhuc erat si dixisset more Hermolai surculos.

expululascentes, neque iam auctas cognoscere unquam poterant ii qui se in siccis tantum medicinis cognoscendis exercitant. Nullus est etiam ex unguentariis qui non noscat hærbas ex Creta aduectas ac fructus ipsarum, quotus uero quisque est qui eas noscat quæ in suburbiis nascuntur & quidem plurimæ? quis est qui ex illis tempore suo semina colligat? ego certe dum agnouissem in Italia, Chamæpityn, & Chamædryn, Thlaspyn, Centaurion, Hypericon, Polium, & alias quam plurimas, obseruabam diligenter illud tempus quo erant in suo uigore, colligebamque nec magis quam conuenit exsiccatas a sole nec minus, hæ enim crudos adhuc in se fructus detinent & imperfectos, illæ uero nimium aridos, uirtus autem compositæ medicinæ, sequitur uirtutes simplicium. Quum uero non nulla sit compositionis ipsarum antidotorum diuersitas, congruum iam erit ad ipsam sermonem transferre, annotabimus uero præter cætera mixtarum simul medicinarum inter se proportionem, quandoquidem hæc passim falsa habetur, tum propter deprauationem

Fructus id est semina.

Et hic corruptus est codex quo usus est Andernacus.

illorum qui dum aliis a se petentibus descriptio-
nem antidotorum accōmodant, de industria pro
portiones corrumpunt, tum quia immutata est
in plurimis exemplaribus, id quod ego diligen-
ter animaduerti, facile enim immutari potest in
iis libris qui in bibliothecis reperiuntur, ob cha
racteres numerorū, pro ε (qui character apud
græcos quinq; significat) ponitur aliquando ἐν-
νέα .i. nouem, sicut in ο(.i. septuaginta) & γι .i.
tredecim adiectione uel detractione unius lineæ
(uerbi gratia si scribatur ὸ p o) facilis & magna
fit numeri uariatio. Quapropter quod fecit Me
necrates usus non characteribus numerorū sed
ipsorū nominibus propriis, ponit enim p ζ duas
nominis syllabas scilicet ἑπτὰ .i. septem, pro κ
ponit tres syllabas εἴκοσι id est uiginti, pro λ po
nit quattuor syllabas triaconta id est triginta,
idem & ego sum facturus, & certe laude dignus
est & ipse Andromachus qui in descriptione
theriacæ carminibus sit usus, sicut & quidam
alii, bene fecit & Damocrates quod uersibus
omnes fere antidotos conscripserit, alioqui ma-
læ fidei homines statim pondera & numeros si

Hic aliqua su-
pererant in co
dice græco An
dernaci.

aliter ſcriberentur peruerterent, primum autẽ tibi deſcriptionem Andromachi carmine comprehenſam proponam.

Andromachi ſenioris theriacæ ex uiperis uocata Galene.

Nos carmina Andromachi ſoluta oratione expoſuimus ſciebamus enim nos eo pacto magis gratificaturos noſtris medicis.

AVdi magnam ex rebus diuerſis compoſitæ antidoti uirtutem, clariſſime Cæſar, audi uires medi.inę mirabilis, Nero noſtræ libertatis dator & author, eius inquam quæ uocatur hilaris, eudios, & galene, cuius tanta uis eſt ut nullius uereatur ueneni inſultus, non Meconij ſucci alioqui ſua frigiditate nocentiſſimi, non cicutæ, non aconiti, non ipſius hyoſcyami, non frangit hanc calida thapſus, non pocula Medeæ, non ipſæ ſanguinem pro urina ducentes cantharides, non letalis uipera, non dolorificus Ceraſtes, non arida Dipſas, nihil poterit aduerſus illam ſcorpio, nihil uirus Aſpidis ſagitta celerioris, fugit expaueſcens propter hanc ad latebras ſuas ſerpens Dryas, hoc facit & ipſe qui ſanguine penitus caret Dryinus, hac domatur Hæmorrus, hac a morte uindicantur icti a phalangijs homines, hac ſopitur Hydrus cuius uenenum frigus ſequitur & horror,

Autor eſt Nicander pocula Medeæ fuiſſe ex hærba quæ uocatur Colchicum de qua Dioſcorides in quarto.

hac

hac eluduntur Epicherſi inſidiæ quas molitur eo maxīe tpē, quo primū cancri ſub tepenti ſole prodeūt ad ſua pabula, hęc profligit Cherſidrum labiis atrum qui cito dulcem aufert uitam ab homine. Huic fide Cęſar & in pratis æſtiuo tempore ubi uoles te oblecta, etiam ſi in Libyam arenoſam iueris nulla tibi Amphisbæna nocebit, tutus per quæuis rubeta ambulabis & hortos, dy boni quantum cōfert hæc ęſtuanti ſtomacho, & aſthmati crebrum & difficilem facienti anhelitum, immo ſi in uentre ab aqueis humoribus cientur flatus aliqui, aut in inteſtinis inſurgunt aliqua tormina, aut dolor extenſum colon cruciat, ipſa præſentaneum erit remedium. Ille cui funditur per totum corpus bilis, ita ut in cute hominis tota, color uideatur extraneus, maxime uero in oculis, ictērū hūc morbum uocant, qui faſtidium ciborum obycit, triſtitiam incutit, medicos ab opere deterret, hac antidoto ſanabitur. Sanabit hæc & illos quos hydrops infeſtat quibus gratū reddit aſpectui uultum qui prius a uiuido iam procul abſceſſerat. Incipientem hæc abigit phtiſim, dolorem au-

Obſcuriſſima etiam male mē ſurata, hic fecit carmina Andernaeus.

fert tetani, conuulsionem nouã dirimit, opistho-
toni tensionem relaxat. Porro ubi tumidus tho-
racis panniculus, leues pulmonis folles compri-
mit, ubi uesicam aut porum eius dolor infestat
acutus, ubi coles urinam reddere appetit ulcus
uero prohibet, inanes ueneris stimulos agitans
ea nihil inuenitur antidoto utilius. Mira facul-
tas eius est in renum dolore lumbis etiam com-
municato, mira est si detur ad bibendum suppu-
ratis, educit enim putentem ex pectore saniem,
quę solebat in dies magis angustam facere spira
tionem. Tali certe habita in promptu potione
curantur morsi a cane rabido ita ut euadant in-
saniam, & aquam ut alij solent iam fatui, non
formident. Sumenda uero antidotus est quanti-
tate fabę natę in locis illis ubi Nilus cœno et ar
borũ foliis, prata et agros operit. Tres aquę ca
lidę cyathos admisceat qui illam est sumpturus,
ebibat uero aut uesperi iam mox dormiturus,
aut in aurora, interdum uero uno die gemina
pocula uesperi scilicet & mane, capiat hanc ma
ne quem morbus de die magis affligit, nocte ue
ro cui triste est prę dolore tempore somni cu-

biculum, experietur quilibet quantam uim habeat ea potio, siue uirulenta illum momorderit bestiola, siue letale quod ebibit uenenum mortem ipsi minetur, affectis locis & dolentibus qui uult eam apponere licebit id illi facere oportune nocte quando uolet & de die, fessis & nimium uigilantibus si illam Cæsar impertieris, somnum facile sibi accersent, lassitudines suas lenient. Ante omnia uero qui compositurus est hoc pharmacum, det operam ut peritus quispiam uir serpentes ei rei idoneos quærat & intrepida manu aprehendat, idque post exactam hyemem quando non amplius in abditis latent cauernis, sed ex strictis meatibus in campos latos prodeunt quærentes recentia marathri semina quę oculis suis applicant eoque pacto uisum recuperant, quibus etiam miseri pastores utuntur in sedãdis doloribus. Vbi serpentes nactus fuerit caudas & capita illis præcidat, uentres cauos exinaniat, utriusq; enim partis membra extrema uenenum continent, uirus habent lætale & ea quæ uentrem adtinent. Dum uero hæc resecat tantum colli & caudę abscindat,

Codex] Andernaci grecus hic habebat ἀντολίην. Andernacus emendare uolés dixit Italicam, meus codex habet ἀντιδοτὸν & uide quam ad rem.

quanta palmæ manus hominis est quantitas adnatæ cubito, effluet una cum sanguine si quid erit noxij intus, atque sic amotis extremitatibus licebit parare hilarem antidotum, ijs enim quæ diximus peractis, carnes uasi impositas igni admoue, prius affundens aquæ quantum sufficit, addes & aneti ramusculos quos tam diu simul coques quam diu carnes ossibus hærent ac in tumorem non attolluntur, postea amoto ab igne uase, feruida refrigeretur mixtura ut auellantur a spina carnes liberius, disquisitis singulis celere manu portiunculis. Quibus ita iam auulsis adyce bene sicci panis tantum, ut contusa simul cum pane caro in mortario formam possit recipere pastillorum, quos ubi formaueris repone ī loco quo solis radij nō adtingūt. Mox squillam una cum piloso suo cortice fermento circumlinitam cineri ad ignem calido inseras, ut sensim ita assetur nec indurescat, quam ubi extraxeris & coctam bene disciderís discissam inter duos lapides contriueris, tribus eius ponderatis partibus duas erui adiunge, pistillo cōmoue, commotas commisce, commixtas in figu-

ram pastillorum redige ac in umbra procul a so le siccãdas repone. Ex ijs deinceps pastillis quinquagita minus duabus drachmas recipe, eius uero ponderis dimidiũ sumes ex illis quos ex pane formaueras, tãtundẽ uero lõgi pipis, succi papaueris & unguẽti hedychroi. At uero foliorũ rosę siccorũ, iris illyricę, glycyrissæ, seminum buniadis, scordij, opobalsami Palęstini, cinamomi, agarici pondo drachmas duodecim, mirrhæ, costi odorati, croci Corycij, cassiæ nardi Indicæ, schœni anthos Arabicũ, thuris aglaies piperis albi & nigri, ramusculorum dictami, prasii recentis, rhei, stœchadis, petroselini, calaminthę suauis odore, terbinthinæ Libyæ, zinziberis, pẽtapepeli, singulorum binas drachmarum triadas. deinde uero poly, chamępityos, styracis, uuæ amomi, meu drachmas quattuor, Nardi galatiæ, milti Lemnij phu Põtici, chamędryos Creticę, foliorũ malabatri, chalcitis ustæ, gentianę, anisi, succi hypocystidis, fructus balsami, gummi, seminis marathri, cardamoni, seseleos, succi acanthes, thlaspis, hyperici, sagapeni, ameos, singulorum drachmas quattuor. Castorij,

Omnia hæc inferius exponuntur.

aristolochiæ tenuis, seminis dauci, asphalti Iudaici, opopanacis, centaurij tenuis, galbani singulorum drachmas duas. Ex ijs igitur ea quæ mollia & humida sunt uino miscebis Phalerno que uero lignea & dura contere minutim una cum melle Actæo. Adsis Aesculapi fauens nostris oporibus, & Cæsari siue nunc Thessaliæ campos amœnos inhabites siue Rhodon, siue Burinnam, siue Epidaurum, hilarem concedito filiam tuam panaceam pia semper offeret ille tibi sacrificia.

Æsculapium hic adorat Andromachus non Phœbum nam & Theocritus παιόνα. Æsculapium nominat.

Andromachi Iunioris theriaca ex uiperis uocata Galene.

HVcusque habuimus ea quæ de theriaca scripsit Andromachus senior, filius uero eius in libro cui titulus est, de medicinis intro in corpus assumendis, ita de ea scribit, Antidotus uocata Galene ad omnes morbos interiores, maxime uero ad stomachi affectus, ad uenena, ad febrium pericdos, Trochiscorum squilliticorum drachmæ quadragiuta octo, trochiscorum theriacalium drag. xxiiij. hedychroi, piperis nigri drachmas. xxiiij. opij drach. xxiiij. rosarum siccarum, scordij Cretici, buniados se

Buniados. i. napi.

minis,ireos Illyricę, agarici Pōtici, Cinamo=mi,ſucci glycyriſſæ,opobalſami ſingulorū dra=chmas.xij. Myrrhę,croci,zinziberis,rhei Pontici,radicis pentaphylli, nepitæ, ſic enim Ro=mani uocant calaminthám, praſii, petroſelini, ſtœchadis, coſti, piperis albi & longi,dictami Cretici,ſchœni anthus,thuris,terbinthinæ,caſſiæ fiſtulæ,nardi Indicę ſingulorum drachmas vi.polij Cretici, ſeſeleos,ſtyracis,thlaſpis,ameos,chamædryos,chamæpityos, ſucci hypociſti=dis,malabathri,nardi Celtice, radicis gētianæ, aniſi,mei Athamantici,ſeminis marathri, ter=rę Lemnię,chalcitis uſtę,amomi,acori,phu Pōtici,fructus balſami,hyperici, acatiæ, gummi, cardamomi ſingulorum drachmas.iiij. ſeminis dauci,galbani,ſagapeni, opopanacis, aſphalti, caſtorij,centaurij tenuis,ariſtolochiæ tenuis,ſingulorum drach.duas,mellis Atticę drach.cen=tum & quinquaginta,orobi drachmas octoaginta.Ex hac igitur Andromachi Iunioris deſcri=ptione quam ſoluta oratione conſcripſit,poterit quilibet intelligere ſi quid in elegia Andromachi ſenioris fuerat obſcurum, qua de cauſa &

Schœni antus.i. ſquinanti floris.

Vide fuerit ne diligens Andernacus pro octo aginta poſuit nonaginta.

ego nullam expositionem illi elegiæ adiunxi, ueritus ne in lõgum sermo protraheretur. Vnius tantum rei admiratione teneor quam in uerbis Andromachi iunioris reperio, ubi enim enumeraret medicinas omnes simplices ex quibus antidotum componit, nepitæ meminit nominis scilicet Romani, nõ oportebat certe si alia omnia medicinarum nomina græce protulit, unum tantum latinum proferre. Discrepat quoq; in una re hæc descriptio a priore, nam in elegia Andromachi longũ piper numeratur inter ea quæ pondere drachmarum. xxiiij. assumuntur, hic uero inter ea quę drachmarum sex. Quum autem plurimæ antidotorum descriptiones deprauatas habeant medicinarum quantitates, propterea primum quidem integris numerorum uocabulis usus & ego sum ad imitationem Menecratis deinde uero carmina adposui. Porro quũ elegiæ Andromachi nimis sint difficiles & obscuræ uisum est mihi cõsultius Damocratis descriptiones hoc in libro ponere scriptas quidem etiam carmine sed aperte & faciliter, prius tamen quum iam de medicinis simplicibus ex

quibus theriaca componitur Aegimus addã ali qua quæ adhuc sunt prætermissa.

Modus conficiendorum, trochiscorum theriacorum.

NOn oportet uenari ipsas uiperas æstate media ut nõnulli solent neq; hyeme dum adhuc in latebris sunt, media enim æstate caro uiperina est nimium arida & siticulosa, hyeme autem frigida & sicca, nutrimenti paucissimi, optimum igitur tempus est quod horum utrorumque medium est, quod expressit & ipse in elegia sua Andromachus. Hoc tempore & ipsi qui Baccho sacrificant discerpere uiperas sunt soliti, dum scilicet uer decedit nondum uero æstas incipit, nisi uer plus iusto sit frigidius, tunc enim in principio æstatis uenationis tempus est sub ortum pleiadum. Quòd si grauidas uiperas aliquas inueneris dimittito, Abscindere uero earum quas apprehenderis oportet capita & caudas, tum quia plus ueneni in hisce partibus obtinent, tum quia partes hæ duræ sunt & carnem exiguam habent, sufficit autem abscindere utrinque magnitudinem quattuor digitorũ, reliquũ uero corpus exentera, excoria, & aqua

ablue, tandem infusa aqua in cacabum purissima & addito uiridi aneto, tale enim est ualentius, decoquito ad carbones ignitos aut ad ligna bene sicca, quæ non sint fumosa, aptissima ei rei sunt sarmenta uitium, adijce et salis modicũ si oportuno tempore uiperas nactus fueris, si uero æstate illas uenatus es, nihil prorsus salis apponas. Caue autem ne ex locis maritimis uiperas accipias, nec ex alijs in quibus aquæ salsæ reperiantur, ex eiusmodi enim uiperis confecta antidotus sitim inducit. Vbi autem bene illas decoxeris ita ut etiam esui aptæ sint si quis illas comedere uelit, aquam effundito, carnem a spinis auellito, ita ut de spinis nihil auferas, & contundito optime, admisce deinde panem purissimũ, subtilem, bene fermentatum, tostum bene & procul a fumo, miscent aliqui panis pondo partem dimidiam, aliqui tertiam, ego autem quartam & aliquando quintam, quòd si panis non bene tostus sit, periculum erit ne antidotus acescat, immo si bene etiam tostus sit, necesse est adhuc aliquot dies in non humido loco illum exsiccare. Posteaquam igitur panem miscueris,

Obscure hic reddidit Andernacus.

& omnia ſimul exacte contriueris ita ut nulla ſit portiuncula carnium quæ non ſit bene leuigata, fac paſtillos ſubtiles non groſſos, in groſſis e-nim quia non facile exſiccantur aceſit panis, pu treſcit caro, quam ob cauſam melius eſt etiam panem contundere ſiccum, non humidnm ut quidam faciebant qui ante me Cæſari antido-tos conficiebant, perfundebant enim panem iu-ſculo ex uiperis decocto, idem & ego facere ſo litus eram annis plurimis, poſtea tamen compe ri melius eſſe, panem ſiccum & in tenuiſſimum puluerem redactum miſcere carni uiperinæ di-ligentiſſime contuſæ, eo pacto enim trochiſci ci tius exſiccabuntur dum ſiccum & non humi-dum panem admixtum habuerint. Habitacu-lum autem in quo exſiccari debent ſit altum & meridiem uerſus exſtructum, quod per multas diei horas radios ſolis excipit, in tali enim ſola rio citius poterint exſiccari paſtilli, radijs au-tem ſolis exponi non debent. Oportet uero pa ſtillos ſępe uoluere & reuoluere ut ex æquo om nibus partibus ſicci fiant, alioqui ſi altera pars erit ſiccior, humidior uero altera periculum e-

rit ne putrescant. Posteaquã autem satis fuerint exsiccati, mutabis locum illorum, facies ut in loco carente solis radijs plures dies iaceant continuo uoluens & reuoluens, ei rei sufficiens erit tempus dierum. xv. post quindecim dies seruabis illos bene repositos donec antidotum conficere uolueris, seruentur autem repositi in uase stãneo, uitreo aut aureo, uitreum quidẽ et aureum nullo dolo deprauatur at stanneum mixtura plumbi adulteratur, oportet igitur non solum seruandæ theriacæ causa sed & aliarum omnium antidotorum, uitare uasa stannea, immo & argentea (nisi fuerit argentum purissimum quod Romani uocant candidum) facile enim huiusmodi uasa rubigine obducuntur. Cõsultius autem est conficere theriacam non longo post factos pastillos tempore priusquam corrumpantur, si post annum unum inijciantur theriacæ non multum est uicij, tamen si bene fuerint a principio exsiccati poterint durare tres & quattuor annos, si bene seruentur, seruantur autem bene, si certis diebus abstergatur ab illis quod in superficie illorum adnascitur quiddam

ſimile pulueri, alioqui niſi eius rei curam habueris, perforantur & nulli rei utiles fiunt, quòd ſi abſtergantur diligenter, utiles ſunt etiam ſi ſint multum ueteres.

Modus conficiendorum trochiſcorum ſquilliticorum.

SIue ſquilliticos ſiue ſquillinos uoluerit quis nominare ex ſquilla factos paſtillos, aut orbiculos, aut trochiſcos nihil oberit Pharmaco quocunque modo uocaueris dum modo nihil erres in compoſitione, quam ego luculentiſſime tibi deſcribam. Squillam ſatis craſſam excerpas a terra quando iam ſatis ſiccata fuerint eius folia & caules, ablata autem corticis eius ſorde, circumlinitam fermento tritici optimi imponito in cinerem calidum uſque quo fermentum illitum indureſcat ſatis, aut ſi tibi ubi hæc facis non deeſt furnus in furnum ſimul cum pane coquendo ſi uoles immittito. Quando autem illitum fermentum iam ſiccum durumque effectum eſt, ſquillam exime & in partes tenuiſſimas contunde, cognoſces autem coctam eſſe ſatis feſtucarum appoſitione, ſtatim enim illas pulpa ſquillæ aprehendit & retinet ſi

bene cocta est, contusæ tandem squillæ admisce farinam orobi albi (farina enim non albi, uehementer amara est) cribratam cribro tenui ac leuigatam. Sit autem squilla, pondo sesquiatteræ portionis, sesquialteram uoco ut duæ sint partes farinæ squillę uero tres. Nescio autem cur Andromachus iunior ponat octoaginta drachmas farinæ orobi, squillæ centum drachmas & quinquaginta, sufficiebat dixisse portionem sesquialteram. Fac igitur pastillos subtiles & repositos in habitaculo meridiem uersus ita ut superius diximus exsicca, caue tamen ne solaribus radiis illos exponas, quæ autem facienda tibi iniunximus circa pastillos theriacos, hæc eadem istis facito.

Orobi. i. erui.

Hic etiam agnosces negligentiã Andernaci.

Modus conficiendi hedychroum.

IN ea quam superius descripsimus theriaces cõpositione, docuit nos Andromachus quo modo parandi sint pastilli theriaci & squillitici. Hedychroum autem quo modo conficere oporteat non docuit, obmiserunt hoc & alij plurimi qui de theriaces compositione scripserunt, proinde Romæ medicus quidam ex numero illo-

rum qui nunquam compositionem theriaces oculis suis uiderunt, sed descriptioni soli confidunt, compositurus antidotum quærebat apud myropolas hedychroum, existimans esse hærbam aliquam, aut simplicem quampiam medicinam, operæ precium erit igitur docere modum conficiendi hedychroi, id quod ego iam faciam iuxta traditionem Andromachi & aliorũ qui hucusque illud Cæsari conficiunt. Quòd si aliquid tibi obscuri uidebitur in uerbis Andromachi, interpretationem omnium tibi subiungam. Hic corruptum habuit græcum codicem Andernacus

Andromachi hedychroum.

HEdychroum habet mari drachmas duas, totidem asari, amaraci, aspalathi, schœni, calami odorati, phu Pontici, xilobalsami uero & opobalsami cinamomi, costi, drachmas tres, myrrhæ drachmas sex, totidem folij malabathri, nardi Indicæ, croci, cassiæ, duplo autem plus amomi, aduectæ uero ex Chio abundãte plurimis fontibus insula, masticis drachmam unam, uino Phalerno omnia excipe, hæc Andromachus.

Quum igitur hæc miſcueris, fac trochiſcos ſi-
miles theriacis & ſquilliticis quos exſiccabis eo
modo quo diximus, hæc eſt quæ ad nos ab An-
dromacho peruenit hedychroi compoſitio, ſunt
aliorum aliæ compoſitiones diuerſe, hi qui ex-
perientia notiſſimas habẽt medicinarum uirtu-
tes, ſolo pondere medicinarum ab Androma-
cho euariant. Quidam autem amaracum non
imponunt nec marum, ſunt qui alterum horũ
tantum imponunt, nam non omnes etiam my-
ropolæ ea cognoſcunt, qui non ſoliti ſunt quæ-
rere hærbas niſi quæ ex Creta aduectæ uen-
duntur, nõ aliunde enim habent & ſemina & fru
ctus, & ſuccos. Ego certe duas has hærbas uidi
& noui in Aſia nõ ita uberes alibi, ſed certe in
Cizico uberrimas, uidi & in Italia amaracũ ſi-
cut & alias hærbas complures, eſt autem ama-
racus odore lõge inferior maro, magna enim
eſt mari fragrantia. Amaricinum (quod ungu-
entum paratur in Cyzico) ipſo nomine indica-
re uidetur multum in ſe amaraci habere, &
fortaſſis apud antiquos ex amaraco parabatur,
nunc ſolum marum noſtri imponunt unguen-
tarij,

Noſtri utrunque maioranam uocant.

tarij ego dum gustarem eam hærbam, sensi amaritudinem quidem maximam, acritudinem autem non magnam. Rogaui quondam unum ex ijs qui amaricinum faciunt ut conficeret mihi unguentum, ex tanta amaraci quantitate quantam alias mari imponere solebat, fecit ut petij eratque unguentum debilioris fragrantiæ sed nō multo debilioris in agendo uirtutis.

Hæc igitur ita obiter diximus redeamus rursus ad compositionem theriacæ, repetentes singula eo ordine quo ab Andromacho in elegia posita sunt. Iussit Andromachus accipere de trochiscis squilliticis drachmas quinquaginta minus duabus, id est quadraginta octo, dimidium autem istius ponderis de trochiscis theriacis, id est uiginti quattuor, tantundem uero & hedychroi, succi papaueris, id est opij, piperis longi. Iam tria ex ijs declarauimus, piper longum uerum, ab adulterino dignosces, aquæ perfusione, si enim fuerit factitium dissoluitur in aqua, si est natiuum manebit indisolutum, est autem similis piperi hærba quedam flaui coloris quæ a Xena ad nos perfertur, sapore tamen multo est dissi-

milis proinde facile discernitur.

Sagapenum nostri dicunt Serapinum.

Sagapenum quoque dignoscitur perfusum aqua aut uino, si enim uerum est disoluitur & deffluit, suppositititũ uero indisolubile permanet, siue autem dicas neutro genere sagapenum siue masculino sagapenus nihil interest, quocunque enim modo dicatur, res ipsa succus est. Est enim re uera sagapenũ succus ferulę cuiusdam, similis panaci, nec quopiam differentis, sed tamen succus panacis nullas in se habet partes albicantes similes galbano. Galbanum autem degenerat ac trãsit aliquando in sagapenum illis nempe partibus quæ in ipso sunt spumosiores ac leuiores, immo totum aliquando galbanum si optimum est, scilicet densius alio, & compactius, apparet ueluti sagapenum, licetque uti pro sagapeno optimis & selectissimis partibus galbani.

Et hic corruptum codicem græcum habuit Andernacus.

QVum autem incidimus in sermonem de transitu in sagapenum illarum partium galbani quæ sunt spumosæ, albæ, & tenues ac in aqua disolubiles, non erit alienum meminisse & de transitu optimę cassiæ in cinamomum, sermonis etiim continuitate adducimur ad dicendum res

non absimiles. Vidi ego sæpius alticrem & uberiorem seu ampliorem alijs cassiam creuisse in magnitudinem fruticis habentis ramos colore & corticis tenuitate cinamomo simillimos, quod maius est gustu & odore cinamomo proximos. Idem accidit opocalpaso quod aliquando non differt a myrrha. Sunt autem non nulla quę media sunt horum trium, sagapeni scilicet cassiæ, & opocalpasi, quæ neque sunt galbanum, neque cassia, neque myrrha, neque etiam sagapenum nec cinamomum nec opocalpasum. Quare frequenter ea inspicienda sunt dignoscendi & discernendi gratia, quę plurimum ad se similitudinem accedunt, sicut enim se res habet in pueris gemellis quorum alterum ab altero non facile discernunt qui cum ipsis raro uersantur, facillime autem ij qui cum ipsis una sunt in eadem domo, sic se habet & in medicinis quarum difficiles etiam differentias facile discernunt ac diiudicant qui in conspiciendis illis sunt usitatissimi, difficulter autem qui semel aut bis tantum illas uiderunt. Qui crebro medicinas intuentur habent in promptu quo diuersitatem earum pro-

Hic nimium ac cælerabat Andernacus.

bent & ostendant, uno alquando accidente clare discernunt alteram ab altera, id quod faciunt & in sagapeno, sagapenum enim quod fit ex galbano non habet odorem propriæ dicti sagapeni, nam graueolentiam suam (quam uiri in iis rebus exercitati hircinum odorem uocant) non deponit galbanum etiam si transit in sagapenum, in compositione tamen medicinarum non est diuersitas magna ipsius sagapeni facti ex galbano & sagapeni ueri, utrumque enim usui congruit, utrunque uenenatis & deleteriis resistit, fortius tamen sagapenum quàm galbanum. At uero ipsum opocalpasum esui hominis non congruit letale enim est. Scio certe multos interiisse meo tempore ob usum myrrhæ quæ admixtum habebat opocalpasum, ii enim qui myrrham præparant de industria illud admiscent quia sciunt utile esse multis affectibus, si enim apponatur collyriis resoluit pus sine ullo morsu & acredine, aliquando etiam incipientem suffusionem cuius materia tenuis est. Siue autẽ in emplastro, siue in ceroto, siue in quopiam alio diaphoretico, myrrha huiusmodi apponatur augebit uires me-

Suffusionem nostri cataractam uocant.

dicamenti plurimum, si uero intro in corpus assumatur letale est uenenum, hæc igitur paulo copiosius diximus ductu orationis & utilitate rei permoti, tempus iam est redire iterum ad eas medicinas quas Andromachus ordine quodam theriacę imponi iubet.

Describit igitur tertium ordinem medicinarum quarum singulæ pondo drachmarum.xij.sunt antidoto imponendæ, circa has duo obseruabis, primū enim eas quæ ualidiores sunt eliges, præparabis eas deinde, uerbi gratia rosas primum exsiccabis eo modo quo diximus desiccandos esse pastillos, elige autem eas quæ & odoratiores sunt & rubicundiores aliis, caueas autem semper loca subterranea nullā in eis medicinā colloces & maxime in quibus situs statim innascitur.

Iubet deinde Andromachus imponere irim Illyricam de qua dum ego uerba faciam uelim ut diligentius & accuratius animaduertas magis quàm circa alias medicinas quarum ego omnium selectionē postea docebo. Chamędrys & poliū quod Romam aliunde adportatur paulo melius est eo quod in Italia nascitur, sūt enim

Hic in codice græco Andernaci deerat μα̃λλον.

non nulla loca in Italia in quibus hæ hærbæ mo
dico certe aduectitys inferiores proueniunt, ſed
tamen non ſingulis annis, illis & enim tan=
tum, quando non totum uer fuerit pluuioſum,
quod ſępe accidit, nam uer ſæpius qualitates ę=
ſtatis obtinet, quando igtur temporis conſtitu=
tio eſt ſicca multæ profecto hærbæ in Italia na
ſcuntur, non minus ualidæ quàm Cretenſes aut
certe paulo inferiores, chamædrys, chamępitys,
hypericon, gentiana, thlaſpi, helleborus niger &
aliæ plurimę, iris uero ipſa minimæ, hæc enim
apud Illyrios tantum optima reperitur, quæ ex
maiore Libya Romam perfertur, tantum defi=
cit ab Illyrica quãtum animal mortuum a uiuo,
quæ autem alias naſcuntur deficiunt & ipſę, om
nium uero maxime Libyę. Ex Illyrica igitur eli=
ges illam quę odoratior eſt, quęlibet enim medi
cina quę odore alias ſui generis excellit optima
eſt, id quod cuilibet experiri licet, qui modo in
cenſendis medicinis ſit bene exercitatus, eodem
pacto quæ ſapore alias excellit ſui generis opti=
ma eſt, porro ea quę tenuis eſt, quæ ſucculẽta nõ
eſt, mala eſt, in omni medicinarum genere malę

Nullã hic Galenus facit mẽtionem proceri

ſunt quæ rugoſæ, & macrę exiſtunt, ſi tamen craſſitie mediocritatem excedant, deteriores erunt iis quæ mediocriter nutritę & auctæ mediocriter ſunt. quare non abs re toties admoneo inſpiciendas eſſe frequenter medicinas & maxime has quę optimæ ſunt, quæ longi temporis & multorum uirorum experientia cognitæ & laudatæ ſunt. Iris igitur ea quæ naſcitur apud Illyrios laudata eſt ab omnibus qui ſcripſerunt de re medica, laudatum eſt petroſelinum Macedonicum, aſphaltum Iudaicum & opobalſamum, laudatæ ſunt aliæ ſimiliter in aliis locis, quarum ego ſuo loco meminero, dicam in qua regione ſingulæ ſint commendatiores.

Meminit deinceps Andromachus ſeminis buniados agreſtis, ſucci glycyriſſæ, utraque hæc ex Creta optima adfertur, & maxime glycyriſſa ac ſuccus ipſius, ſcordiũ optimũ etiam ex Creta adfertur, inuenies tamen etiam non adeo malum in regionibus aliis. Proditum eſt memoriæ a fide dignis ſcriptoribus, corpora quorundam qui in bello conciderant quum non ſepulta plurimos dies ſupra hærbam ſcordii iacuiſſent, mi

tatis ut putauit Andernacus.

Falſo hic Andernacus conſtrictas medicinas meliores eſſe cenſuit.

nus alijs putruisse, & ex ijs illas minime omniũ partes quę scordium adtingebant, proinde omnibus persuasum est scordium resistere uenęnis animalium, ijs quæ putrida reddunt corpora & deleterijs. Conscripsit autem omnem materiam medicam sufficientissime libris quinq; ipse Dioscorides ex quibus licebit cuiuis addiscere omnia indicia quę ad odorē, quæ ad gustum pertinent, quibus dignoscuntur singulę medicinæ, ac discernuntur malæ a bonis. Colores etiam in aliquibus non parum ad dignotionem conducere comperies, ego uero nolo in hūc librum transferre ea quæ apud alios recte conscripta sunt, adtingam ea tantum quæ ab alijs sunt prætermissa.

Cur colores nō in omnibus indicent facultates medicinarū lib. iiij de simplici medicina prope finem lege.

Facit deinceps Andromachus mentionem opobalsami & cinamomi, utraquæ hæc si quis exacte cognoscere cupit præter ea quæ Dioscorides tradidit indicia, quęrat pręcipue in qua nam regione hæc optima nascātur, id quod ego semper facere conatus sum, commēdatissimas enim medicinas uolui semper diligēter intueri. Qum non ignorarem succum balsami diuersis modis

Hic multa deerant in exemplari græco Andernaci.

adulterar

adulterari posse ita ut difficulter possit discerni, uolui uidere, & quo modo crescat balsamum & quo modo succum emittat, atque eius succi partem habere ueluti regulam ad dignoscendos alios. Non licet mihi prodere palam quot & qui in adulterando illo sint doli quos ego didici multos, ne malæ mentis homines si hos addiscerent prauorum operum occasionem inde arripiant, nec laudo illos qui aperte medicinas deleterias describunt & propalant, si qui tamen Dioscoridis & aliorum qui materiam medicam conscripserunt cognoscendi rationes & modos calleat, ac suorum oculorum iudicium adiungat, poterit facile discernere alteram medicinam ab altera, ubi est possibile, sunt enim multa quæ aut frigide aut nequaquàm discerni possunt, ita aliquando adulterini & ueri indistincta confusaque sunt indicia, qualia sunt & eius de quo nunc loquimur opobalsami, nam de cinamomo secus est, scio enim hoc faciliter posse dignosci præcipue ab ijs, qui optimum & selectissimum cinamomum sæpius diligenter conspexerunt, cuius copiam non facile quis habere poterit si apud Cæ

Et hic deerant uerba quattuor in exemplari græco Andernaci.

Hic difficilis est Andernacus

ſarem non liceat id illi uidere, apud quem ma-gnus eſt cinamomi apparatus, ſex eius diuerſa apud eum reperiuntur genera, ex quibus bene colligi poſſit diſtantia ſignorum peſſimi & opti mi, hoc idem fieri poſſet & in caſſia optima, quę parum differt a cinamomo infimo. Antiqui porro cinamomi uſus eſt paucus, ad annos enim triginta, uix integra quæ erat a principio uirtus eius ſeruari poteſt, nugantur qui dicunt uirtu-tem cinamomi tempore ſuperari & confici non poſſe, ego ipſe uidi cinamomum non ducentos nec centum annos ſed multo minori tempore aſ ſeruatum non modice immutatum fuiſſe, quum enim Antonino Cæſari thericam conficerem, uidere mihi licuit plurima uaſa lignea cinamo-mo plena, quorum alia erant repoſita in apothe cas tempore Traiani Cæſaris, alia tempore Adriani, ea uero quæ tēpore Antonini, qui poſt Adrianum succeſſit ad imperatoriam dignita-tem, fuerant repoſita habebant cinamomum ſa poris odoriſque fortitudine alia omnia ſuæ ſpe-ciei tantum ſuperans quantum ſuperabatur tem pore ab illis, exemeram ex ſcrinio (allato quon

Hic male contextum uerborum poſuit Andernacus quoniam & in græco eius exemplari error erat.

dam ex Barbaria) quod erat longitudine quattuor cubitorum & medio, arborem integram cinamomi primi & pręcipui generis, ex quo cōposueram antidotum quādam Marco Antonino, Cæsari, quæ tantum præstabat aliis ut quum illam gustasset imperator, expectare tantum temporis noluerit, quantum aliis medicinis pro coctione seu maturatione debetur, sed statim illa usus sit duorū mensium spacio nondum transcurso, post obitum Antonini dum successit Commodus imperator cui nec theriaca nec cinamomum curæ fuerat, periyt nescio quo modo nō solum illud quod erat reliquum illius arboris, sed omne illud etiam quodcunque post Adriani imperium uiuente Antonino fuerat comparatum, ita ut quum iussu Seueri imperatoris qui hoc tempore regnat compositurus essem antidotum eo modo quo Antonino componere solitus fueram, coactus sim accipere illud quod tempore Adriani erat reconditum, & certe uidetur id esse mihi multum debile, licet triginta annos nondum expleuerit. Libet autem mihi apponere hic optimi istius cinamomi notas, scitu necessa

Hic negligens erat Andernaus.

rias odoratissimum erat, habebat fragrantiam supra alia sibi propriam, quam uerbis exprimere non est facile, gustantibus satis calidum erat, sed tamen non multum mordax, color eius talis erat qualis esset si quis lactis colorem fusco adiungat, addito etiam pauco cœruleo. Ego mihi quantum uolebam accipiebam ab Antonino cinamomi huius optimi, cuius aliquot ramusculos seruandos reposueram in apotheca mea, mearum diuitiarum omnium repositorio, ij uero exusti sunt quando templum pacis etiam deflagrauit quo tempore & reliquas quinque cinamomi species penitus amisi, Confeci igitur nostro qui nunc est Seuero imperatori antidotum ex cinamomo Adriani, de quo etiam aliquid quod utile sit lectoribus hoc loco dicere non grauabor.

Neque hic fidelis erat Andernacus.

Multa hucusque extant uasa lignea Adriani, cinamomo refertissima, habent in se cinamomum nec multarum radicum, nec multarum propaginum siue frondium, uocet quis quo modo uelit, nō in altum exporrectum simile utrique hellebo ro uel potius damassonio, ex Creta id adfertur, habent singulę cinamomi species unū tantum sti

Falsissima hic multa sunt apud Andernacum.

pitem ad similitudinem parui alicuius arbusti habentis sex aut septem frondes enatas, plures etiam aut pauciores, longitudine inæquales quarum tamen nulla sit maior semipede Romano, tota cinamomi substantia crescit ad similitudinem cassiæ optimæ habentis inditum sibi a mercatoribus nomen dissyllabum, cuius prior syllaba est ex g & i, altera autem ex z & i hæc de cinamomo dicta iam sufficiant.

Adscriptus est deinde ab Andromacho Agaricus in quo nullus potest esse dolus, quare sufficiat solum admonere optimum esse qui est leuissimus, deterrimum uero esse qui est grauis, durus, ligneam habens substantiam, hic uero qui in medio utriusque est, quantum notis suis recedit ab utroque tantum etiam uirtute.

Non oporteba hic dicere Andernacum, uirtute deficit.

Myrrha deinde adscribitur & costus, utrunque facile cognitu est si sæpius conspiciatur, scito uero aptissimam esse antidotis myrrham eam quæ a quibusdam uocatur Troglodites ab alijs Minaea, a nomine loci in quo optima nascitur, odoratissima hæc sit & nihil admixtum habeat opocalpasi, de quo etiam superius diximus.

Male hic uerti Andernacus ὀποκαλπ-θιζον

Crocum autem Coricium laudant omnes anti-
qui etiam poetæ, ego diligenter certe animaduer
ti & antrum Coricium in quo nascitur & cro-
cum crescentem, maior quidem illic prouenit,
non tamen maiorem alijs odorem habet recens
nec uetus, ego uero odore potius discernendum
an optimus sit censeo non magnitudine substan-
tiæ. Iam illud constare omnibus existimo flauissi
mum debere esse crocum qui optimus sit & o-
doratissimum, adulteratur uero nec est cogni-
tu facilis præsertim ijs qui raro optimum ui-
derunt, quapropter melius est uti eo quod iam
diu emimus, & in loco tutissimo, (de quo prius
diximus) nos ipsi adseruauimus, maximum enim
erit bonitatis eius indicium, si talis permaneat
qualis a principio uisus est, adulterini enim co-
lor & odor cito euanescit.

De cassia id tantum dicam quod in multis libris
medicinalibus scriptum extat, commune præce
ptum est, ubi caremus cinamomo duplum cassię
pondus esse imponendum, hoc uero ridebat ipse
Satyrus præceptor meus, proferebat inter cæ-
teros iocos, hoc quoque, Quinti unum scurrile

Hic aliud dicit Galenus, aliud Andernacus.

dictum, idem faciunt inquit qui censent dum cinamomo caremus duplo cassiæ pondere utendum esse, quod facerent illi qui iuberent in uini Phalerni penuria duplam quantitatem bibere uini quod in tabernis uulgo uenditur, & fermentacei alicuius panis portionem duplam comedere in penuria candidissimi & optimi, quem ego sermonem si de re dicatur quæ una tantum solaque in usum uenit, uerum omnino esse existimo, si uero de re dicatur cuius usus est non quidem solius sed multis uariisque admixtæ, nequaquam uerum esse puto, si enim forte fortuna indiguerimus una quapiam medicina rhu scilicet aut absinthio, aut iri, aut gentiana, aut alia simili, duplamque quautitatem malæ, loco optimæ acceperimus, quis dubitabit hanc multo magis nociturā esse, siue intro in corpus assumatur siue extra applicetur? at ubi unam quāpiam ualidissimam & optimam medicinam multis aliis & diuersis admiscere oportet causa augendæ uirtutis illorum, nihil absurdum fuerit si pro ea, quum deest, accipiamus duplum alterius debilioris eiusdem generis, porro cassia proxima est

Quod nostri sumach id Galenus rhum uocat.

genere ipſi cinamomo, interdum enim caſſia, tranſmutatur in cinamomum, uidimus aliquando totam caſſiæ optimæ arborem cinamomo eſſe ſimilimam, & ramos ipſius cinamomi caſſiæ eſſe ſimiles, non oportet igitur eam caſſiæ pro cinamomo uſurpationem, uino aut pani aſſimilare ut uolunt Quintus, quin potius ei actioni quę obſeruatur in rei familiaris negocijs, in bellis, in exſtructionibus nauiū, domorum, in eleuatione & tranſportatione grauis alicuius molis, ubi duorum opera peragitur id quod perfici poterat ab uno robuſto & forti qui abſens eſt. Adtuli contrariam hanc ſermoni Quinti ſimilitudinem, ut oſtenderem non dignos eſſe reprehenſione illos quorum ſententia eſt, ut duplum caſſiæ pondus loco cinamomi inijciatur, ego cinamomum dum opus illo fuerat antidotis ſemper impoſui, ij enim quibus ego antidotos conficere fueram ſolitus aut erant amici Cæſaris quibus licebat cinamomum a Cæſare expoſcere, aut diuites quibus erat facile magno precio ab aliquo emere, aut ipſi imperatores quibus cinamomum ſemper adeſſe me probare eſſet ſuperfluum. Quinti

Hic corruptus erat Andernaci græcus codex.

ut non

ut non solum a Satyro sed a pluribus alijs eius discipulis audiuimus, mos erat in penuria cinamomi, carpesium imponere, quod ab optima cassia uirtute dissidere non putabat, cuius ego magnam copiam mihi comparaui dum iter ad regiones orientales facerem, & hucusque apud me conseruo diligenter, cuius quidem iam odor & sapor non est tantus quantus erat a principio, abolitus tamen omnino nondum est, carpesium simile est odore saporeque hærbæ phu nisi quòd fortius est & aromaticũ quiddam in se habens, ubertas eius maxima ad ciuitatem Pamphiliæ Sidam, ibi paruo emitur precio, quòd si quando aliquis uestrum illuc fuerit profectus poterit tantum sibi comparare quanto indigere se in longissimum tempus arbitraretur, tenues habet stipulas, ramos cinamomo similes, sunt uero duæ eius differentiæ alterum est Laertinũ, alterum melius Ponticum, utrique nomen est inditum a monte in quo nascitur, expertus sum uires eius multoties, utens illo loco phu, est enim illi ut diximus proximum, nisi quod aromaticum est, & odorem saporemque ualentiorem obtinet, utilia

Carpesii fructus nostri cubebas uocant.

Multas hic uidebis apud Andernacum ineptias, aliqua eius negligentiæ aliqua deprauato eius codicẽ græco ad scribes.

ſunt hæc quæ hucuſque de caſſia diximus, & ſcitu multum neceſſaria. Iam uero quæreret quis quali nam caſſia utendum ſit, laudatur in primis gizi, deinde motos, ſunt qui magis probent arebon, & daphnitem, gizi ut diximus cinamomo eſt proxima ita ut illam non nulli pro cinamomo uendant. At uero Andromachus iunior inyciēdam cenſet eam quæ uocatur fiſtula notiſſima omnibus & parui precy, habet exteriorem corticem ad formam fiſtulæ ualidum odore & guſtu, interiorem uero imbecillem atque adeo ut nullus ſit corticis illius uſus, Andromachus ſenior non exprimit nomen caſſiæ proprium, ſed ipſe iunior adiecit in deſcriptione ſua nomen fiſtulæ, ea etiam deſcriptio theriacæ quæ ab Andromacho eſt tradita iuniore & a medicis Cæſaris hucuſque ſemper obſeruata habet hoc nomen adſcriptum fiſtula.

Iubet deinde Andromachus adijcere nardum Indicam, ea uero eſt quam ſpicam uocant, nō quòd ſpica ſit, radix etenim eſt ſed quòd ſpicæ figuram habeat, circa hanc uero cautos uos eſſe oportet ne quis uendat uobis eam quam uocant

Non hic de medulla caſſiæ loquitur Galenus ut putauit Andernacus et certe nimium abſurde.

Quid ſibi uelit Andernacus per non ſpicata ipſe met dicere non poſſet an non idem eſt στάχυς et ἀστάχυς

lotam, exinanita enim hæc eſt ſuis uiribus ut po te iam decocta ab ijs qui unguenta conficiunt, quibus mos eſt & alia multa pro uſu ſuo deco quere. Si integra uenditur candida non eſt, nec ſqualida, eſt uero lanuginoſa & multum odora ta, optimæ omnium ſunt quæ omphæ Barbara lingua uocantur Omphas igitur accipere opor tet, terra radicibus earum adhęrens ſi auellatur etiam nardi odorem habet.

Hic multa in exemplari græco Andernaci deerant.

Schœnum Arabicum præter cætera Androma chus adijciendum cenſet, quem neſcio quo mo do ſchœni anthos id eſt ſchœni florem uulgus uocet, quum nos flore eius ſæpius careamus, in cauſa eſt quoniē chameli eius hærbę altiores ra muſculos depaſcuntur, ueſcuntur enim ea & de lectantur maxime, naſcitur plurima in Arabia, leuis eſt precij, ſolo odore bona ne an mala ſit dignoſcitur, facile enim odor eius exſpirat & exalat ſi diu ſeruetur.

Addit deinde Andromachus thus aglaies, non oportet dubitare nunquid aglaies nomen ſit alicuius alterius medicinæ neque enim in deſcri ptione Andromachi iunioris, nec in ulla alia

quæ ad nos peruenit, uidere est nomen hoc agla ies, nulla re Andromachus iunior a seniore dissidet exceptis quarundam medicinarum ponderibus, quare potius aglaies epitheton ab Andromacho nomini thuris additum existimandũ est. Addit tandem Andromachus piper nigrum, dictamum, rheon, medicinas notissimas omnibus, exemplar alterum quod apud me est, habet piperis grauis & ponderosi, tale uero est illud quod maius est, cuius cortices sunt tenuriores & minus rugosi. Fit autem in rheo dolus, illi enim apud quos nascitur recens adhuc, causa educendi succi decoquunt, quem ad nos mittunt tanquam syncærum & aquæ impermixtum, hærbam deinde exsiccant nobisque uendendam amandant, scito uero neminẽ melius suppostitiũ rheon ab integro & uero posse dignoscere quàm illum qui sæpius natiuum conspicatus est, & si enim uisu iudicatur esse densum & firmum: tamen totam suam substantiam talem non habet, si enim coctum est rarioris est substantię, saporem stipticum aut nullum aut debilem (qui fortis est in eo qui uigorem suum non perdidit) habet, digito fa

Hic multa superant in deprauatissimo codice græco Andernaci, quæ etiam si melius exemplar non habuissemus agnouissemus fuisse falsa.

Et hic negligens erat Andernacus.

cile perforabile est.

Stœchas nascitur plurima in plurimis terræ regionibus, copiosissima tamen est in Creta, & ad mare Iberum in insulis quæ uocantur Cyclades, nomen hærbæ a loco ubi nascitur inditum est, maior est, & melior quæ ex Cycladibus adfertur quam ea quæ ex Creta.

Hic falsus est Andernacus.

Petroselinum omnium laudatissimum est Macedonicum quod non nulli uocant Estreaticum mutuato nomine a loco in quo nascitur, rarũ & paucum est, quoniam & locus ille præruptus paruusque est. Estreaticum hoc Macedonicum etiam apud Macedones rarum paucunque est, deportatur tamen ad omnes nationes, accidit siquidem hoc petroselino quod melli Attico & uino Phalerno, quemadmodum enim Phalernum uinum & mel Atticum ad omnes fere nationes deportatur, ita & petroselinum Macedonicum, non tanta tamen eius est ubertas ut gẽtibus omnibus possit sufficere. Prouenit in Epiro non parua petroselini copia, sicut mellis in insulis Cycladibus, mel ex Cycladibus recta perfertur Athenas, petroselinum ex Epiro fertur

in Macedoniam, & maxima eius copia in Thessaliam inde autem pro Macedonico ad nos aduehitur, simile quiddam accidit & uino Phalerno, nam in paruo quodam Italiæ loco paucum nascitur, quod ad omnes fere nationes defertur uenditur autẽ ab impostoribus aliud suppositiũ ꝑ Phalerno. Si carueris petroselino Estreatico nihilo deteriorẽ facies theriacã si aliud loco eius imponas, nõ & enim sicut deleteriis medicamentis aut uenenatorum animalium morsibus, diuersum ab Estreatico petroselinũ minus congruit ita reliquis etiam malis affectibus, ut puta torminosis, debilibus uentriculis, hydropicis aut aliis similibus quibus utilis est theriaca, non est tamen hoc principale promissum theriacæ. Petroselinum Macedonicum reddit theriacam amariorem præcipue si recens imponatur, quod sicut aliorum omnium est uehementissimum ita etiam amarissimum.

Hic unum tantum uerbum putabat sibi deesse Andernacus in suo deprauato codice, nos ex nostro antiquissimo plura addidimus ut uides.

Nescio cur Andromachus terbinthinam Libyam iusserit imponere, Chiam uero quæ omnium optima esse censetur neglexerit, laudatur quidem Libya non omnis tamen quæ ex Libya

adfertur est optima, ex Chio semper adportatur optima, fit & in regionibus, quæ Ponto adiacent resina terebinthina optima, & apud gentes alias, superat tamen omnes odore & sapore Chia.

Addit deinde Andromachus ad theriaces compositionem, zingiber & pentapepelon, quod nihil aliud est nisi pentaphyllon, nota est utraque herba adulterarique non potest. Subdit Andromachus polium quod omnibus etiam est notum, nihilque simile habens quod loco eius possit supponi.

Meminit tandem Chamæpitys, de qua hoc dicere sufficiat, reperiri illam in multis prouinciis odore saporeque multo præstantiorem quàm sit Cretensis, adfertur tamen nobis ex Creta, ipsi compositores antidotorum Cæsaris Cretensi semper utuntur. Ego profecto circa Romam in suburbijs reperio & Chamępithyn & Chamędryn Cretensi odore multo excellentiorem præsertim si multo imbre non madeat. Hic falsus est Andernacus.

Dignum est scitu & hoc quod iam dicturus sum, herbę quæ ex Creta ad nos deportantur

chartis inuolutę habentibus singillatim adscripta cuique propria nomina, alię habent unum tātum nomen, aliis additur nomen hoc syluestris seu campestris, inuenire autem est syluestres seu campestres multo aliis præstantiores licet etiam plurimæ sint debiliores.

Styracem hoc loco Andromachus intelligit illū qui in calamis ex Pamphilia adportatur, qui certe rarus paucusque est, is cuius magna passim habetur copia tātum differt a Pamphyliensi quantum differt unum Phalernū ab eo quod uulgo a caupon.bus nenditur. Eligendus autem styrax est qui sit ruffissimus nec minus odore & sapore uehementissimus.

Vide quam inepte dicat Andernaaus calidissimum pro ruffo aut palido.

Subiungit Andromachus nardum Galatiam, hanc omnes qui medicæ rei gnari sunt Celticam uocant, tria enim unius gentis sunt nomina, quos alij uocant Galatas, hos alij Gallos, alij & quidem usitatius Celtas.

Apposuit Andromachus miltum id est rubricam Lemniam, melius autem est illam uocare terram Lemniam, est enim alia quædam rubrica diuersa, quæ in Lemno nascitur, magis ad

Andernaaus di

usus

usus alios idonea quàm ad Pharmacum, terram Lemniam alij uocant sphragida id est sigillum Lemnium, diximus autem de hoc fusissime in libris de simplici medicina.

cit in Milto proueniens, deceptus suo ineptissimo exẽplari.

QVas ad finem elegiæ apposuit Andromachus medicinas notas fere omnes omnibus medicis esse existimo, nec doli in ijs committuntur, aliquæ declarantur in solutæ orationis Andromachi iunioris descriptione. Porro per hoc quod dicit succi cœrulei acanthes significat illam quę fit ex acantha (spina scilicet Aegyptia) acatiam.

Vnum adhuc de thlaspi mihi dicendum restat scitu multum necessarium. Omnes inijciunt antidotis thlaspi quod in Creta & alias passim nascitur, colore pallidum & flauum, figura rotundum, paruũ admodum ita ut milij minima portio esse uideatur, quum tamen multo melius esset inijcere illud quod ex Cappadocia adportatur, colore ad nigrum uergens, figura non exacte rotundum magnitudinis multo maioris, habet hoc in una parte thlasma id est scissuram indeque thlaspi dicitur, nascitur utrunque in Capdadocia, proinde non omne quod ex Cappado

Hic decimã partem nescio cur somniat Andernacus.

cia adfertur est optimum, sed illud tantum quod in Cappadocia est natum Cretensi & uulgari huic nostro multum absimile.

Si quid est quod in elegia Andromachi sit positum adhuc obscurum ex iunioris Andromachi uerbis satis intelliges, quod dicit Andromachus miscebis melli Actęo intellige Attico.

Non dixit Andromahaus ungendas esse medicinas ligneas melle ut ait Andernaaus sed cōterēdas & melli cōmiscendas.

In descriptione Andromachi metrica, non dicitur quale sit accipiendum centaurium, in soluta uero oratione clare expressit iunior Andromachus accipiendum esse tenue, est enim alterum genus centaurij crassum. Sic aristolochiam accipiendam dicit tenuem, est enim alia habens radicem crassam, est & alia tertia species habens radicem rotundam.

De mod o conficiendi theriacam.

DIctum a me est sæpius si quis semel tantum uiderit quo modo antidotus conficiatur, non indigebit altera conspectione, at causa dignoscendi optimas medicinas in singulis generibus, non semel nec bis nec ter sed frequenter admodum singulas conspicari oportet, atque illas præcipue quæ optimæ in suis regionibus na-

ſcuntur. Vtile uero eſt optimarum utiliſſimarumque medicinarum notas callere de quibus iam quidem prius tractauimus ſed tamen easdem repetere ac omnium ſumma capita etiam nunc referre me non pigebit. Radices igitur bonę & uſui aptæ diſtenſum & non corrugatum habeant corticem oportet, alioqui rugoſus cortex marcidæ ſeu non ſucculentæ radicis eſt indicium. Fructus uero ramuſculos cum quibus apportantur & ſurculos uirentes habere oportet, uberes multique ſint, inuolucris ſuis non careant. Semina ita ut radices bona ſunt ſi ſucculenta ſunt id quod ex diſtento cortice cognoſcetur. Succi & liquores boni ſunt ſi longo tempore exſiccati ſeu aridi non ſint, ſi qualitates ſuas debiles non habeant id quod guſtu & olfactu iudicabitur. Fructus igitur una cum ſuis inuolucris ſurculis, floribus, foliis quotquot ſunt theriacæ inyciuntur, earum ſcilicet hęrbarum ſcordij, calaminthæ, praſii, ſtæchados, dictami, polij, chamędrys, chamæpitys, hyperici, centaurij, radices uero inycies zingiberis, ireos, rheu, pentaphylli, coſti, nardi Indicę, nardi Celticę, gentianę, meu,

Neſcio quare hic Andernacus procera dicit ſemina.

Hic prętermiſit πεζικὰ ςπτὰ Andernacus.

acori, phu, aristolochiæ tenuis, semina uero bu niadis, petroselini, thalspis, ameos, anisi, mara- thri, dauci, cardamomi. Omnia hæc genera me dicinarum tria pilis Aegyptiis inycere oportet quoniam durissimæ sunt nec quicquam ex ea- rum substantia medicinis intra contundendum adteritur, inycienda sunt simul & hæc pastilli squillitici, theriaci, hedichroum, piper nigrum, album & longum, rosæ siccæ, ad hæc & agari- cus & crocus si siccus fuerit, sigillum Lemni- um, chalcites torrefacta, amomum, cinamomũ, fistula cassiæ, fructus balsami, acatia, si non fue rit nimiũ mollis & humida, castorium, ipsa as- sphaltus, seu ipse asphaltus, dixi toties me anxiã huiusdomi ineptiarum uerborum scilicet curã habere nolle, cæterum ipsa myrrha & crocus ui no macerata leuigentur, si modo tutius tibi ui- deatur illum leuigare potius quàm contundere ex quo natura humidus est. Succi omnes uino perfundendi & macerandi sunt ut melius disol- ui & leuigari possint, succus scilicet sagapeni, panacis, papaueris quem uocant meconium aly opium, acatia quoque si fuerit ipsa humidior ita

Nemo imponit anethum theriacæ, nisi bonus si dijs placet interpres Andernacus.

Non uult Galenus ut opobalsamum contundatur cum alijs si cut putauit Andernacus, oportet enim succũ balsami seruare pro inungendo uecte tempore contusionis.

ut contundi non possit, succus hypocystidis, glys cyrissæ. Solebam antea & ipsum thlaspi & ses mina gongylidis in pilam una cum alijs contuns denda inijcere, uidebam enim hoc facere & alis os ante me sed posteaquam animaduerterem ip sa contundi bene propter uisciditatem non poss se immo ipsi pilæ intus adhęrere, seorsim ipsa uino macerare & in lapideo mortario lęuigare nunc consueui, leuigata tandem adiungere aliis quæ seorsim in uino macerantur. Thus quoque seorsim leuigare melius est (ne dilatatum pilæ etiam adhęreat) interim uero habere in proms ptu ea quæ prius in uino macerata & leuigata sunt, ut aspergas thuri si tibi libebit. Gummi eti am & uino macerare & leuigare primum seor sim, deinde simul cum thure oportet. Hæc igis tur eo quo diximus modo omnia peragito, leuis ga scilicet in uase lapideo seorsim quæ leuigans da sunt, contunde in magna pila quæ sicca sunt, postea autem ubi iam tempus erit uniendi oms nia, fac ut liquefiat cum melle in duplici uase pris mum quidem resina, postea styrax & galbanum prius in pila confracta bene ac pistillo aut uecte

ferreo contusa, adiectis crudi mellis aliquot stil-lis, postea digitis nostris dilatata & resinæ admi xta (quo tẽpore etiã resinæ modicũ mellis erit affundendũ) operculo uasi addito ad ignẽ lique-facienda omnia, melius est enim adposito uascu li insistentis in aqua operculo, citra mellis com-motionem ea decoquere & disoluere. Postea ubi hæc satis liquida apparuerint & disoluta, sic cas mediciuas iam contusas iunge illis quas in uino maceraueras & leuiganeras, iunctas com-misce, donec iusta earum crassities uideatur & densitas, ubi hoc feceris statim liquidas illas tepi dasque quas decoxeras cocleari magno affunde ac forti alicui uiro quassandas uniendasque per-mitte, quando iam unitæ erunt & quodammodo spissę, mellis mediocriter cocti ac despumati co-clear magnum mortario magno adfunde, adde quoque iustam iam prius unitarum densarumq; medicinarum quantiatem, contere deinde, tam diu mel tepidum affundens medicinasque den-sas adponens quoadusque supersunt, quando tan dem omnia cocleari bene fuerint contrita & cõ-mixta, in magnam ea pilam transfer, uecte po-

Mortarium est in quo teruntur medicinæ, pila uero in qua con tunduntur.

lito & ita mundo ut nulla illi rubigo insit contun
de, commisce, illinens sæpius uectem opobalsa-
mo, adhærent enim illi facile medicinæ ita ut dif
ficulter a contusoribus attollatur, quare melius
est extremum uectem opobalsamo tam diu quo
ad usque totum absumpseris illinire, promptius
enim contusor operabitur & facilius. Melius est
autem in sole contundere, citius enim unientur
medicinæ, postea pilæ operimentum adde ac ela
psis quattuor aut quinque diebus, similiter sub
sole illud quod in pila est contunde ac iterum at-
que iterum sex aut septem dierum interuallo, us
que ad finem duorum mensium aut ad quadra-
ginta dierum terminum. Hæc quidem nos cau-
sa efficiendæ bone theriacæ diximus, cæterum
conandum est ut ipsa nigra sit, talis enim color
nescio cur in usum sit receptus, ridetur contem-
niturque theriaca quæ nigra non est, scito tamē
uirtutem medicinæ nec quicquam immutari nec
uariari diuersitate coloris, accedit autem extra-
neus (id est non niger) theriacæ color a chalcite
nimium usta quæ flaua & ruffa euadit, licet e-
nim exigua eius quantitas ad mixturam aliorum

adponatur, sufficit tamen ad tingendum totam antidotum, ut ne igitur hoc fiat aduerte ea quæ dicturus sum diligenter. Recipit antidotus dra- chmas quattuor chalcitis, quam hoc modo prius torrere oportet, impone in ollulam crudæ chal- citis non minus drachmis quadraginta, ignitis deinde applica carbonibus, citra operculum, dum fundi iam illam uideris, id quod in ipsa spu mosum & leue superuehitur statim exime, dum transfers illam ab igne & humi collocas ne inspi res nec infles ut solent ij qui ignem excitant, in- de enim mirum in modum roboratur color eius ruffus & flauus, nec illam in sole stare permit- tas, ubi iam refrixit elige ex illa quod leuius & spumosius est, quod nihil in se ruffi, nihil flaui, nihil pallidi habet, id tandem leuiga, intra leui- gandum uide ut certior sis ne quid dictorum co- lorum in ea appareat, quòd si talis chalcitis per manet qualem elegisti porracei scilicet siue cine ricij coloris, ex ea quattuor drachmas antidoto inijcito, scio enim quòd modicam in tota chalci- te usta, eiusmodi coloris reperies, hæc de com- positione & confectione theriaces dicta suffici- ant.

ant. Quum uero discrepent in quibusdam Democratis & Critonis descriptiones, uisum est mihi melius apponere hic quoque utriusque descriptionem, prius tamen Damocratis, omnes enim theriacæ usus & utilitates facillime ac clarissime descripsit carmine ita ut solet, & recte equidem, cum quia carmina memoriæ facilius commendantur, tum quia mensuræ & pondera medicinarum in carmine destrui non possunt, incipit autem Damocrates in libro de antidotis, sermonem de theriaca, ab usu & origine eius.

Hic immutatus erat codex græcus Andernaci.

Damocrates de theriaca.

ANtidotos in promptu semper paratas habere utilissimum esse nemo dubitat, cum alias tum uero maxime illas quæ deleterijs resistunt quorum gratia illas primum inuentas esse existimo, quid enim poteris melius commodiusq; contra letalia huiusmodi uenena exhibere? quod nam aliud magis præsentaneum remedium offerre? ijs quibus toxica in cibis data sunt, euomat tamen omes cibos prius qui uenenum comedit, sumat tandem bis & ter antidotum, si adsunt infecti ueneno corporis indicia. Summũ

certe est nostra antidotus remedium contra serpentum morsus, contra uenenatarum uirus bestiarum, hydrorum, cerastum, aspidum, dipsadum, uiperarum, canũ rabiosorum, a quibus omnibus magnum nobis sępius incumbit periculũ. Summum est contra marinorum uenena animalium, contra ictus nocuos alitum, uesparum nẽpe, apum, nec minus scorpionum, phalãgiorum, aranearum. Quantitas assumendæ antidoti est paulo ponderosior drachma una, paulo maior quam castanea una cum tribus meracioris uini cyathis. Non sufficiet autem semel tantum exhibere antidotum, sæpius ea utuntor qui a metu periculi liberi esse cupiunt. Da illam in morbis chronicis & longe affligentibus, in periodicis febribus & rigoribus, in affectibus denique omnibus, doloribus omnibus qui scilicet multnm & longe hominem excruciant membraque debilitant principalia. Da in matricis & coli inflationibus, in uesicæ & renum cruciatibus, siue sint ulcera siue lapides, da hepaticis, da hæmophtysicis, ac illis qui putentem crebro ex pectore exspuunt saniem, Da in fracturis rupturisque inte

Hic decem iubet bibere cyatos uini Andernacus deceptus suo codice.

Hic de abscessibus seu apostematibus loquitur Andernacus, Damocrates hæc nõ somniat & quis tam imprudens est medicus qui

rioribus, hæc enim doloris timoriſque unicum eſt ſolatium. Qui cibos tarde concoqunt, aut faſtidiunt, aut poſt aſſumptos acidum eructãt, eam ſibi familiarem faciant medicinam. Qui in longis peregrinationibus aquis coguntur uti noxyſ hanc apud ſe ſeruent & habeant ſemper antidotum, quam pondere trium obolorum aut quattuor cum aqua ſorbeant calida, trium aut plurium horarum ſpatio ante cibum ſumendum. Qui ex ueſica laborant aut ſtomachi ulcera perferunt, aut cruentum exſpuunt paſſo ſibi antidotum diſtemperent, qui uero graues ad thoracem habent affluxus utantur antidoto cum aqua in qua pugillus polij Cretici (quod melius eſt) ſit decoctus, aut Scythici, aut Pontici, abſcedent enim hoc pacto omnia reumata, potionis ut & antea dixi trium cyathorum menſura eſt. Sunt qui in dolore aurium ea utuntur antidoto diluta paſſo Cretico, foraminibuſque aurium cum lana intro immiſſa. Porro qui bonã conficere uult theriacã omnes ſelectiſſimas habeat opus eſt quæ in mixturam ueniunt medicinas, paſtillos pręter cætera theriacos optimos, confectos ex medici-

in principio abſcæſſus uellet dare theriacam.

nis optimis, hos uero hoc modo quem nunc dicemus conficito. Accipe uiperas quæ ueræ sint uiperę, quas tempore iam ęstiuo uenatus fueris, sint magnæ, sint numero uiginti aut modico plures, nam non adeo multæ reperiuntur, eas uero hoc modo præparato, abscinde capita & caudas trium aut paulo plurium digitorum longitudine, prius tamen abscinde capita, postea caudas idque dum uiuæ uegetæque sunt uiperæ, excoriauis illas deinceps eo modo quo anguillas, inijcies postea bene ablutas in ollam abiecta tota earum pinguedine, affundes aquæ quantum sufficit, addes anethi sicci iustum fasciculum, coques tamdiu quamdiu caro hæret ossibus. Translata tandem ab igne olla, adime singulas ab ossibus carnis portiunculas quas pani puræ similaginis pondere æquali admisce, mixtas leuiga, perfundens pauco iusculo, fac deinde tenues pastillos quos exsicca & usui reserua. Squilliticos autem sic facies, squillam tempore quo est messis tritici, iam enim matura est, albam & magnam accipe, exteriorem eius corticem qui siccus est auelle, radicem omnem quæ dura est abscinde, massa tritis

Hic deceptus etiam est Andernacus.

Hic aliqua obmisit Andernacus.

cea circumline, furno impone, quando iam satis coctam esse arbitraberis, libram unam eius libræ mediæ farinæ tenuissimæ orobi admisce, tenuesque ac subtiles orbiculos inde confice, exsicca, ex illisque non multum inueteratis theriacam confice, qua ferunt frequentissime usum esse Mitridatem. Hic dum bello esset deuictus & oppressus, mortem sibi adsciscere cupiens, uenenum una cum filiabus suis ebibit, nullam tamen noxam inde persensit, ubi uidit ueneno interijsse filias, gladio se iussit perimi. Theriacam igitur sic compone trochistorũ squilliticorum quadraginta octo drachmas accipe, trochiscorum theriacorum uiginti quattuor, piperis nigri, opij, & unguenti sicci quod ab antiquis hedichroum uocatur, singulorum drachmas bis duodecim, succi glycyrissæ sicci drachmas duodecim, totidem rosarum siccarum, cinamomi, opobalsami optimi, ireos Illyricæ, agarici albi, seminis buniados, scordij Cretici singulorum drach. xij. myrrhæ, croci, reu petroselini, stœchadis, calaminthæ siccæ, radicum pentaphylli, seminis prassii, piperis albi & longi, nardi Indicæ quæ spica

Hic aliter ponderat Andernacus quam uoluit Damocrates, & certe nimium inepte.

dicitur, thuris, terbinthinæ, costi albi, hærbæ di-ctami, florum schœni, zingiberis, corticum cas-siæ nigræ singulorum sex drachmas, poly au-tem, phu Pontici, thlaspis, chamædrys, styracis, gummi, gentianæ, acori, meu, cardamomi, semi nis marathri, succi hypoquistidis, chalcitis tostę, seminis hyperici Cretici, succi acatiæ, nardi pu ræ Celticæ, terræ Lemniæ, chamæpitys, ame-os, seseleos, seminis anisi, botrorum amomi, fo-liorum malabathri, fructuum balsami singulo-rum drachmas duas, alij sed male, drach. iiij. im-ponunt, opopanacis, galbani, seminis dauci Cre-tici, castorij, sagapeni, centaurij Cretici, aristolo chiæ tenuis bene siccæ, asphalti singulorum dra chmas quattuor, alij ponunt duas quod ego nolo qui toties illam composuerim, uini Phalerni op timi quod satis est, mellis Attici purissimi libras decem, hæc uero omnia partim sunt semina par tim succi, partim folia, partim lachrymæ, par-tim radices, paucissima sunt metallica, succos igitur lachrymas & metallica in uino prius ma-cera & contere ut ad grossitiem mellis redigan tur, reliqua autem sicca contunde, cribro subtilis

Hic etiam pon-dera Damocra tis non ponit Andernacus.

ſimo diſcerne, accurate miſce, aſſundens mel coctum bis & ter. Repone tandem affuſo modico melle ſeruandam antidotum in uaſe non ligneo ſed uel uitreo, uel corneo, uel argenteo, uel ſtanneo, uel fictili ex terra ſed denſo. Bibendam uero exhibebis dum nec nimium recens eſt nec arida, fit autem arida, ſi longo nimium tempore adſeruetur, ſi tamen illam iterum cum affuſo melle ferueſceceris & iuſto temporis ſpatio contriueris, reddes utiliorem quæ iam erat inutilis, erit tamen debilior quàm ea quã coxiſti ſemel.

Alia theriacæ compoſitio.

QVòd quidem ab Andromacho diſcrepet in aliquibus Damocrates clarum eſt ex eo loco ubi dicit, alij ſed male drachmas quattuor imponunt, & ex alio ubi inquit ponunt alij duas quod ego nolo, quòd autem & clarius eadem prius dicta ſunt quàm ſcripſerit Damocrates id quoque manifeſtum eſſe arbitror. Eſt apud me alia quædam theriacæ compoſitio, quã uiſum eſt mihi operæ precium iuxta eam quàm ego habeo traditionem hic quoque adſcribere, eſt enim clarior & breuior cæteris iam ſuperius

Hic error est apud Andernacum in pondere medicinarum.

descriptis. Theriacã sic confice, accipito drachmas duas seminis dauci, & opoponacis, asphalti, sagapeni, galbani, aristologiæ tenuis, testiculorũ castoris, & comæ centaurij. Duplũ uero styracis, amcos, anisi, phu, comę polij, meu, acori, chamępitys, foli: malabathri, sigilli Lemnij, calcites, succi hypoquistidis, gũmi, nardi Celtorũ, thlaspis, seseleos, seminis marathri, cardamomi, horum singulorum drachmæ sint quattuor, myrrhæ uero stœchadis, prasii, costi, dictami drachmæ sex, totidem uero & piperis albi & longi, rhei, croci Corycij, radicis pentapepeli, nepitæ, florum schœni, resinæ terebinthi, radicum nardi Indicæ, cassiæ fistulæ, thuris, seminis petroselini horum singulorum drachmæ sint sex, duplum uero scordij, seminis napi syluestris, iridis, rosarum siccarum, agarici, succi radicis glycyrissæ, opobalsami, cinamomi, zingiberis horum singulorum drachmę sint duodecim, duplum autem hedichroi, piperis nigri, trochiscorum theriacorum, opij: singulorũ sint drachmæ uiginti quattuor, duplum uero pastillorum ex squilla, his omnibus mel affundito, ipsum uero

Vide quam inepte hic posuerit Andernacus calamum aromaticum pro nepita, si mensurasset diligenter carmen græcum, aliter censuisset.

Hic pessime põdera reposuit Andernacus.

ro hedichroi unguentū habet mari drach. duas totidem asari, amaraci, aspalathi, schœni, calami odorati, phu, at uero xylobalsami, opobalsami drachmas tres, totidem cinamomi & costi, myrrhæ uero drachmas sex, totidem foliorum malabathri, nardi Indicæ, croci, cassiæ, duplo uero plus amomi, masticis chiæ drach. una, uino Phalerno omnia excipe.

Et in hedychroo nonnullorum pondera immutauit Andernacus.

Critonis de theriaca sentētia ex libro de medicamētis tertio.

IAm ad perficiendam totam de theriaca doctrinam nihil aliud deesse existimo, nisi subijcere quæ Critō aut addidit suprascriptis, aut immutauit. Quod mensuram medicinarum adtinet imponit & ipse. xxiiij. drachmas piperis nigri, lōgi uero drachmas sex, chalcithes ustæ imponit & ipse drachmas. iiij. mellis Attici libras decē. Viperas autem uenari iubet in fine ueris ineunte iam æstate, aut tempore uindemiæ, abhorret autem tempus æstiuum transacto iam æstatis principio usque ad occasum caniculæ, abhorret & tempus quod subsequitur post canis occubitum quod proprie uacant græci oporas, quo tēpore etiam in hominibus plurimum bilis conge

ritur. Tempore uindemiæ quæ medio autumno fit iubet colligere uiperas magnas & crassas, illas deinde coquere cum anetho solo, carnes ex decem tantum uiperis accipiendas præcipit, panis siliginacei unciam unam, formandos tandem esse pastillos theriacos, Squilliticos autem ad hunc modum confici iubet, excerpendam dicit esse squillam tempore quo messis est tritici, tunc enim in uigore suo squilla est, coquendam deinde in furno, circunlitam gypso aut arilla, posteaquàm satis cocta est, dicit accipiendam esse eius medullam, & cum medio farinæ orobi leuigandam ita ut duplo plus sit squillæ, fingendos tandem pastillos & in umbra exsiccandos. De medicinis in pila contundendis diligenter scribit, iubet fortiter circunligari pilæ pellem quæ in medio tantum habeat foramen ut illo non solum uectes contundens medicinas sed etiam post contusionem et sublatũ uectem manus una cum concha ad excipiendas illas possit immitti, discernendæ enim erunt cribro. Dicit autem addendam esse & alteram pellem supra hanc priorem, cuius multo minus sit foramen, quo solum

uectis possit in pilam immitti, nec auferendas censet esse eas pelles donec puluis omnis resideat. Dum illas cribro secernimus iubet etiã cribrum pelle tegi, quum iam a commotione cessatum est, aperiendum cribrum & penna dicit esse abstergendum.

Galeni libri primi de antidotis Iosepho Struthio Polono interprete finis.

CLAVDII GALENI PERGAMENI

DE ANTIDOTIS LI-BER SECVNDVS IOSEPHO STRV-THIO POLO-NO INTER-PRETE.



E THERIACA *sermo in totum librū priorem productus, facit ut breuiores simus dum agemus de aliis antidotis, quas in hoc libro percurrere statui, sumpto initio ab ea quę uocatur metridatia, est enim ea ad multa sane uenena deleteria efficatior licet ad sauandum eos qui a uiperis morsi sunt inferior sit quàm theriaca, quum uero eam ipsam & alias optimas fere omnes: An-*

dromachus in libro ſuo de medicamentis intro aſſumendis accurate perſcripſerit, nos eam & alias deinceps omnes ita ut ſcripſit Andromachus uobis proponemus.

Venena deleteria) Pharmaca ſeu uenena deleteria ea ſunt quæ eo uſq; homini nocent ut mortem illi inferant. Sunt autem uniuerſæ deleteriorum differentiæ tres, alia enim ſunt frigida uenena ſicut opium, alterci ſuccus id eſt iuſquiami, mandragora, alia ſunt quæ caliditate nimia uitæ hominis periculum inferunt, rodendo aut ſaltem urendo corpus ut ſunt cãtharides, lepus marinus, bupreſti, thapſia, fel thauri, fel urſi, alia ſunt quæ tota ſubſtantia ſua homini ſunt contraria, uelu ti aconitũ, fel leopardi & ſimilia multa, iјs omnibus Mithridation præſentaneum eſt remedium, idque tum euacuando, tum alterando, ſed de iјs ſufficientiſſime Galenus in libro de ſimplicium medicamentorum facultatibus in pleriſq; locis.

Non ab re fuerit hoc loco ſubijcere menſuras & pondera quorum in hoc utroque libro frequens mentio eſt.

Cocus ideſt granum grana autem ſint aut hordei aut tritici aut alia non multum diuerſa. g i

Obolus ſexta pars drachmæ eſt. ℈ ß

Scrupulus tertia pars drachmæ. — ℈ i

Drachma eadẽ olca dicitur hz obolos ſex ideſt ſcrupulos iij. ʒ i

Cocchleare minus, obolos habet iij. id eſt dracmæ dimidium. ʒ ß

Cobleare maius, habet obolos vi. id eſt drach. unam. ʒ i

Stateram faciunt drachmæ iiij.

	Olei	Vini	Mellis
Xestes qui & sestarius dicitur uncias	18	uncias 20	uncias 27
Cotyla id est hemina facit uncias	9	uncias 10	unci. 13 semis
Mystrũ magnũ facit mensuram uncia.	3	uncias 3 scrupulos 8	unci. 4 semis
Oxÿbaphum id est acæ-tabulum drachmas	18	uncias 2 scrupulos 12	drach. 27
Cyathus drach.	12	drach. 12 scrupulos 4	un. 2 dr. 2
Mystrũ paruũ dra.	6	drach. 6 scrupul. 2	drach. 9

Andromachi antidoti.

ANtidotus mitridatia aduersus letalia uenena proprie, & ad affectus interiores omnes, glycyrizæ drachmas. vij. semis & obolos. iij. opij drac. iij. obolos. ij. castorij. drac. vi. polij drac. v. obolos. ij. costi drac. v. obolos. ij. spicæ nardi drac. vi. obolos. ij. cassiæ drac. v. obolos. ij. thuris drac. vi. seseleos drac. v. obolos. ij. succi hypocystidis drac. vi. acori drac. ij. scordij drac. vi. obolos. ij. folij drac. iij. gallii drac. v. obolos tres, alii ponunt drac. vi. cypheos drac. vi. obolos duos,

myrrhæ drac.vi.croci drac.vii.obolos.ii.cinamo mi drac.vii.obolos.ii.ſtyracis drac.v. obolos.iiii. dauci ſeminis drac.vi.obolos.iii.zingiberis dra. vii.obolos.ii.phu Pontici drac.ii.petroſelini dra. iiii.obolos.iii.nardi Celticæ drac.iiii.ſeminis ma rathri drac.iiii.nardi Indicæ drac.iiii. hyperici drac.ii.acatiæ drac.ii.gentianæ drac.iiii.alii po-nunt drac.ii.aniſi drac.iii.thlaſpis dra.vi.obolos quattuor,meu Athamantici drac.iiii. alii ponũt drac.ij.roſarum ſiccarum drac.iiii.gummi dra. ij.cardamomi drac.iij.aly ponunt drac.ij.ſchœ-ni drac.vi.obolos,ij. opopanacis drac.vi. obolos duos,opobalſami drach vi. obolos. iiii. galbani drac.vii.ſcinci drac.ii.obolos duos, terbinthinæ drac.vi. obolos.ii. uini Chii quantum ſufficit, mellis Attici quantum ſufficit.

Glycyrizæ) glycyrizam græci,latini dulcem uocant radicem eius temperamentum eſt prope æqualitatem,proinde noſtræ naturæ familiaris eſt,habet leuem quandam dulcedini ad-mixtam adſtrictionem, uulgus hanc liquiritiam uocat.

Seſeleos) quod cõmuniter dicitur ſeſeli hoc apud Hippocratem dicitur ſeli & ſi e inde aliqui ob affinitatẽ nominis ſiler & ſile idem eſſe opinantur, at quia ſiler aquaticus ſ le uero montanus frutex eſt,idcirco ipſi alterum ſiler montanum alterum ſiler aquaticum uocant,re uera autem id quod ipſi

ſiler montanum nuncupant eſt ſile ſiue ſeſeli Maſſilienſe cuius adud Galenum & ueteres omnes, frequens eſt mētio. Scordij) ſcorodon & ſcordium multum differunt, ſcorodon græce latinæ allium, ſcordium uero hærba foliorum ſimiliū chamædrij minorum tamen nec adeo ſciſſorum, noſtri ſylueſtre alliū imponunt pro ſcordio, credentes apud græcos ſcordium & ſcorodon idem eſſe.

Folij) apud medicos quando ſcribitur folium uel græce phyllon ſignificatur aliquando folium malabatri quod folium Indum noſtri uocant, ætate noſtra immo & Plinij tempore rariſſimum & cariſſimum, aliquādo ſignificatur elæophillon hærba radicis paruæ, foliorum apij, naſcitur in paluſtribus de qua Dioſcorides libro iij. hanc ipſe ſicut & alij folium ſeu phyllon uocat, hoc adnotaui ut intelligas falſum eſſe quod uulgo dicitur, ſemper nomine folij intelligendum eſſe folium Indum, hoc loco tamen folium Indum ſignificatur, pro quo ſeplaſiarij noſtri longe diuerſiſſima folia imponunt, conſultius facerent ſi in penuria eius, ſpica nardi uterentur id quod ſolitus fuerat facere ipſe Galenus.

Gallij) latinum pariter & græcum nomen eſt galliō hærbæ cuius folia ſimilia ſunt aparinæ, flos in ſummo luteus, denſus, exilis, numeroſus, odoris grati, uocatur hæc hærba ab alijs galation lac enim coagulat, & ruſtici aliquando ea pro coagulo utuntur, uidere eſt illam quot annis apud ſeplaſiarios noſtros Patauinos pro feneſtris expoſitam, ſiccā di uim mediocremq́; habet acrimoniam.

Cypheos) cyphi trochiſi ſunt de quibus paulo poſt agetur.

Thlaſpis) hanc noſtri naſturtium album uocant de qua in libro priore Galenus ſatis abunde diſſeruit.

Meu Athamātici) dicitur Athamāticum quòd in Athaman

q̃ laudatissimũ reperiatur, seritur ĩ Italia prouenit folijs anisi
Schœni) uulgus corrupto nomine dicit squinanti.
Opob lsami) ĩ penuria opobalsami utebatur Galenus uel car pobalsamo uel myrrha stacte, uel succo carpasi.
Vini Chij) nõ credas quando scribitur uini Chij quòd aliud loco eius accipere non liceat, omne enim uinum quod eas in se dotes habet quas in libro superiore descripsit Galenus antidotis aptum est.
Scinci) accipiuntur uel lumbi eius uel abdomen hæ enim partes laudatiores sint, usus etiam aliquando est & renũ ipsius, scincus a crocodilo differt quia cãdidior est et tenuior, squamasq; ad caput uersas habet, adferuntur ex Affrica sale inueterati. Est ager quattuor miliariũ Germanicorum spatio distans Patauio, prope Vincentiam ubi sanci etiam reperiuntur sed multum minores ueris, hos nostri pro Ægyptijs aliquando supponunt.

Antidotus Mitridatia aliter descripta ab Antipatro & Cleophanto.

MYrrhæ drach. vij. semis obolos. iiij. alij ponunt oboli. iij. nardi tantundem, croci drac. vij. oboli. iij. castorij drac. vi. obol. unum, cinamomi drac. vij. obol. iij. polij drach. vi. obol. iij. scordii drac. vij. obol. iii. zingiberis tantundem, costi drac. vi. obol. iij. piperis albi drac. v. obol. ij. piperis longi drac. vi. obol. iij. seminis dauci dra. vi. obolos. iii. cassiæ drac. v. obol. iii. thuris drac. vi. obol. ij. succi hypoquistidis drac. vi. obol. i. s. nar

di Celticæ drac.iiii.seminis marathri drac.iiii. acori,phu Pontici sagapeni,fructus balsami, hy perici,iris Illiricæ,ana drac.ii.milti Lēnii drac. vi.cypheos,lumborum scinci ana drac.vi.acatię, gummi, cardamomi,pelecini ana dra.ii.thlaspis drac.vi.obol.iiii.gentianę drac.iiii.alij ponunt.iij anisi drac.iii.rosarum siccarum drach.iiii. meu Atamantici tantundem,schœni drac.vi.obol.iij. opobalsami tantundem,aristolochiæ drac.unam hyssopi drac.iii.prasii drac.unam, chamæpityos drac.iii.libanotidis drac.v. terbinthinæ drac.vi. obol.iii.mellis Attici.q.s.uinum ne affundas.

Sagapeni) nostri corrupto uocabulo uocant serapinum.

Milti Lemnij) id est terræ sigillatæ.

Pelecini) quam latini securidacam uocant eam græci pelecinum nominant, Galenus & Paulus frequenter hedysarum apellant,notū est omnibus habet folia similia ciceri, folliculos ternos quaternosq́; semen ruffum figura securiculæ,nascitur inter triticum & hordeum,ita noxia & pestilens lentibus si cut tritico lolium.

Libanotidis) libanotidem nostri ros marinum uocant, copiosissima est in Italia,apud Polonos pro deliciis magis mulierum quàm pro usu medico est.

Antidotus Vrbani Indi ad educendum fœtum qui est in utero.

MYrrhæ drac.xv.croci drac.xvi.nardi Indicæ drac.xvi.cinamomi, caſſiæ, panacis ana drac.xij.amomi drac.viij.ſcordij drac.xxv. in alio exemplari ſcribitur drac.v.florum ſchœni drac.viij.meu Athamantici drac.ij. ſucci roſarum dra.xij.obol.ij.phu drac.v.obolos.ij.hyperici drac.v.zingiberis drac.vi.piperis dra.vi. piperis albi drac.viij.ſtyracis drac.v.obolos.ij. ſeminis marathri ſylueſtris drac.ij.obol.iij.piperis longi drac.v.aliud exemplar habet.vi.coſti drac.vij.obol.ij.ſeminis trifolij drac.v. gentianæ drac.iij.ariſtolochiæ rotundæ dra.iij. polij drac.v.radicis trifolij drach.v.obol.ij.cardamomi drac.v.radicis echij drac.iij. thuris drac. vi.petroſelini drac.vi.phlomi drach.vi. ſeſeleos drac.v.cymini Æthiopici,drac.ij.fructus balſami drac.iij.nardi Celticæ drac.vij. terræ Lemniæ drac.iij.meconi drac.iij. obolos.iii. ſeminis cachryos dra.ij.cypheos drac.iij.ireos Illyricæ tantundem ſucci mandragoræ dra.vi.obolos.ij. ſagapeni drac.iiii.opopanacis drac.iii.aniſi dra. iiii.ſucci hypoquiſtidis drac.v.terbinthinæ drac. v.obolos.iii.caſtorei drac.v.opobalſami dra.xvi.

ſeminis rutæ ſylueſtris drac.iiii. galbani dra.iiii. ſeminis buniados tantundem, medullæ ceruinæ drac.vi.obolos.iii.unguenti nardini drac.xx.ſanguinis aridi hœdini dra.v.obol.iÿ.ſanguinis aridi anſerini tantundem, ſanguinis anatis drach.iÿ. obol.iÿ.ſucci buphtalmi Aegyptiÿ drac.viÿ.uini Chÿ Abtamantici quantum ſufficit.

Florum ſchœni) græci ſchœni anthus dicunt noſtri ex duabus dictionibus una facta, corrupte dicunt ſquinanti.

Phu) græci phu, uulgus ualerianam uocat.

Echÿ) quam latini hærbam uiperariam uocant eam græci echion, alÿ ſcorpiuron, eſt enim ad morſus uiperarum utiliſſima, noſtri uocant alabion, alÿ alabiacum alÿ perſonatiam, una eius ſpeties habet ſemen ſimile capitulo uiperæ.

Phlomi) latini uerbaſcum græci phlomon uocant, cuius Galenus quattuor facit ſpeties, alia eſt alba folÿs alia nigra, alia ſylueſtris, alia quam proprie phlomida uocant, albæ rurſus alia mas alia fœmina, maris anguſtiora ſunt folia, ſimillima folÿs enulæ campanæ noſtræ, ſed non adeo hirſuta, inde eſt quòd enulam campanam multi phlomon Idæam uocant, uulgus inuenit ſibi nomen aliud pro phlomo, dicunt enim thapſum barbatum.

Meconii) id eſt opii.

Ireos) id eſt iridis Illyricæ, noſtri faciunt differentiam inter ireos & iris, ireos uocant radicem lilii, irim uero eam quam gladiolam omnes nuncupant, ſed errant profecto neſcientes iris & ireos nominis eiuſdem apud græcos diuerſos caſus eſſe, iris nominatiuus eſt, iridis uel ireos genitiuus, quare ſiue

ſcribatur iridis ſiue ireos, ſemper apud antiquiores & optimos quoſque medicos iris Illyrica intelligitur.
Vnguenti Nardini) deſcribitur modus conficiendi unguenti iſtius apud Dioſcoridem in primo & apud Meſue in Antidotario.
Seminis buniados) id eſt napi ſylueſtris.
Buphtalmi) ideſt oculorum bouis, græce enim buphthalmos bouis oculus dicitur, ſic appellata hæc hærba eſt ut ait Galenus quoniam flores eius oculis bouinis uidentur eſſe aſſimiles, maiores huius multo & acriores ſunt flores quàm camomillæ uulgo uocatæ, alii uocant chriſanthemon, pueri in pagis ex eius floribus torques ſibi conficiunt, & pro aureis geſtant.

Antidotus hæc non eſt ex ſanguinibus ut putauit Andernacus, deceptus ſuo exemplari.

Antidotus Aphrodæ uocata panacea ad eundem uſum ad quem facta eſt ſuperior ex ſanguinibus, hac ego utor huic maxima certe debetur fiducia cinamomi dra.viij.amomi dra.iiij.caſſiæ fiſtulæ nigræ dra.xvi.croci dra.xvi.ſchœni dra.v.thuris dra.v.pipis albi dra.iiij.obol.ij. piperis longi drac.unā oboli.ij.myrrhæ drac.xi.obol.ij. nardi Indicæ drac.xi.obol.iiij.nardi Celticę dra.xvi.obol.ij.roſarum ſiccarum drac.vi.coſti dra.ij.obol.iii.s.opobalſami drac.iiii.obol.ij. lachrymæ Cyrenaicę drac.iii. alij ponunt drach.iij.s. ſtœchadis drac.v.obolos.ij. radicis trifolij drac.

iiij. aut seminis drac. ij. florum scordij drac. xi. obol. ij. polij Cretici drac. vi. obolos. ij, asari dra. ij. acori drac. iij. obol. iij. s. seminis dauci tantūdē, seminis anisi drac. ij. cimini Aethiopici tantundem, rhei Pontici drac. v. obol. iij. s. seminis buniados syluestris drac. iij. aut seminis gongylidos, tantundem, phu Pontici drac. ij. mellis affunde quantum sufficit.

Panacea) quasi dicas, omnes sanans ægritudines, ipso nomine ea antidotus maximi esse momenti indicatur.

Cassiæ fistulæ) apud arabes medicos cassia fistula, non ea est quam hodie cassiam fistulam uulgus uocat, ea etenim est siliqua Ceratia siue Ægyptia, sed lignea illa aromatica nigra colore alia ruffa, Dioscorides, Galenus, ac probati quiq; medici uocant cassiam syringa idest cassiam fistulam unam spetiem ligneæ aromaticæ.

Indicæ nardi) ea nos caremus, nardus enim Indica ut in priore libro docuit Galenus radix est spetiē tamē spicæ præ se fert, ad nos ex India adferuntur spicæ quædam, odore penitus nullo.

Nardi Celticæ) idest nardi Gallicæ, eius habetur copia apud seplasiarios nostros, Galli, Celtæ idem sunt populi.

Lachrymæ Cirenaicæ) lachrymam uocamus succum ultro profluentē ex uulnere hærbæ cuiuspiam incisæ, per excellentiam uero ut ait Galenus uocatur lachryma Cyrenaica seu succus Cyrenaicus quasi proprio nomine quum tamen commune sit, succus is Cyrenaicus fluit ex hærba quam græce sylphium latine laserpitium dicimus, apud Cyrenenses,

res est usui medico accommodatissima, laudatur & lachryma sylphij in Media & in Syria, eas lachrymas Arabes vocant assas, latini lasser, non adportabatur ad nos assa nisi foetida iam coepit portari odorato, raro tamen reperitur etiam Venetijs. Galenus dum carebat Cyrenaica utebatur Syriaco uel medulla uitulina, pro Syriaca lachryma utebatur sicco mori. Sunt quidā qui benzoim nunc uocatū credant esse ueram assam seu uerum lasser, natura lasseris huius est diaphoretica quae excellit in Cyrenaico quoniam est calidius ac subtiliorum partium.

Stoechados) nostri dicunt sticadis, laudatur Arabicum.

Polij Cretici) Scribonius latinus celebris medicus, tiniariam herbam polium uocat, uidi cum alias tum apud Franciscum Phrisomeligo uirum re medicae illius antiquae non fucatae, certe peritissimum, polium ex Creta aduectum, quod quum diligentuter animaduerterem uisum est mihi spetie foliorum & cauliculorum, sapore, odore parū aut nihil differre ab ea herba quae apud nos in Polonia uulgari sermone cyprys dicitur, delitiae sunt mulierū nostrarum magis quā medicina.

Acori) medici nobiliores in Italia (non dico de uulgo) pro acoro utuntur non communi illa radice ingrati odoris quam nostri pharmacopolae uendunt pro acoro (quae radix est xiris re uera apud Dioscoridem) sed calamo uocato aromatico quandoquidem ad nos radix adfertur non calamus uere aromaticus, quo nos penitus caremus.

Gongilidos) idest rapi.

Buniados) idest napi syluestris, officinae utuntur rapi syluestris semine pro semine buniadis, quum deberent merito uti semine napi quod est minus & albius quàm semen rapi syluestris.

Phu Pontici) idest ualerianæ cuius multas species in Italia uidere est.

Antidotus cui par nō est Nicostrati, quam ego multoties cōposui ad omnes affectus interiores.

RAdicis dulcis, folij malabathri, opobalsami, agarici, cinamomi ana drac. xiij. zingiberis, seminis trifolij, amomi, seminis rutę syluestris, baccarum Iuniperi non maturarum siccarum ana drac. xv. petroselini drac. viij. succi papaueris tantundem, castorij, piperis longi, succi hypoquistidis, cypheos ana drac. xij. obol. ii. polij, piperis albi, seseleos, bdellij ana drac. xv. obo. iii. florum schœni, costi ana drac. xii. s. seminis dauci, thlaspis ana drac. xiii. spicæ nardi drac. xxiiii. radicis cassiæ nigræ drach. xvi. thuris, panacis, opopanacis ana drac. xii. acori drach. v. scordij drac. xvii. marathri, nardi Celticæ, gentianæ, florum rosarum, gummi, lachrimæ Cyrenaicæ, cardamomi, ammoniaci thymiamatis, radicis echij, succi lappæ ana drac. viii. sagapeni, hyperici, succi acatiæ, ireos Illyricæ, ana drac. xiiii. myrrhæ stactes drac. xx. croci dra. xxx. styracis dra. xi. obol. ii. phu, meu, dictami, seminis buniados,

calami aromatici ana dra. viii. aut. x. anisi, asari, agarici, scinci ana dra. vi. terbinthinæ dra. xiiii. obolos. iiii. galbani dra. v. sanguinis anatis fœminæ, sanguinis hœdini ana dra. vii. piperis nigri & piperis longi dra. xxiiii. crocomagmatis tantundem, radicis pentaphylli, origani syluestris, prassii, stœchados, ameos, chamædryos, chamæpityös, centaurij tenuis, aristolochiæ tenuis ana dra. vi. sigilli Lemnij dra. xxx. sanguinis anserini, testudinis marinæ, rhei Pontici ana dra. vii. mellis Attici quantum sufficit, sumitur in potu aquæ, magnitudine fabæ, confert & quartanam patientibus, uenenatis uero tantum quantum nulla alia prodest.

Radicis dulcis) idest liquiritiæ.
Malabathri) idest folij Indi.
Baccarum non maturarum) quæ maturæ sunt nigræ sunt, quæ immaturæ uirides, accipiendæ igitur uirides siccæ.
Gummi) nomen est commune gummi, laudatur Arabicum quod prouenit ex spina uocata Ægyptia quam alij Arabicam uocant ut ait Galenus.
Ammoniaci thimiamatis) ammoniacum frutex est ammoniacum thimiama eius fruticis succus est, nostri putant esse gummi, reperire est etiã succum dici nomine solo, ammoniacum scilicet, Scribonius addit ferè semper quando succum

intelligit, thimiama.

Myrrhæ *stactes) myrrha arbor est eius succus etiam myr= rha dicitur qui stillat ex uulnere incisæ arboris, alius est qui stillat ultro antequam incidatur arbor, quæ omnibus præfertur cui nomen est stacte.*

Crocomagmatis *) pastilli sunt de quibus post hac agemus.*

Sigilli Lemnij) *idest terræ sigillatæ seu terræ* Lemniæ *nam antiquitus signabatur ut ait* Galenus *a sacerdotibus impres so sigillo.*

AElij Gaij antidotus qua usus est Cæsar, *& Charmes, plurimum facit ad uenenata omnia & pestifera, qua si locum serpentum inunxeris fugabis omnes, plurimum confert in destilationibus oculorum omnibus, quas aufert & exsiccat, soluit tristes animi affectus, liberat a febribus cronicis & periodicis, confert mulieribus quæ menstruis carent, citra molestiam fœtum educit, utilis est & phtisicis, dosis eius est magnitudo nucis auellanæ cum cyathis a quæ. iiii. ijs uero qui a uiperis morsi sunt cum uino.*

Titulus huius Antidoti pessime expositus a pud Andernacum *est.*

Myrrhæ *dra. xii. croci dra. xiiii. nardi dra. xiiii. schœni dra. xii. cinamomi dra. ii. amomi dra. iiii. alij ponunt drach. vi. galbani dra. xi. terbinthinæ dra. v. piperis albi dra. x. piperis longi dra. xxxii.*

Hic amomum male mensurat Andernacus *ui tio mali exemplaris.*

costi dra.vij.thuris dra.xii.succi papaueris tantundem, scordij dra. quinquaginta, aliud exemplar habet dra.viii.polij dra..iiii. succi hypoquistidis dra.xii.petroselini dra.xviii. seseleos dra. xiiii.seminis dauci dra xvi. opobalsami dra.xii. opoponacis tantundem, castorij drac.viii.mellis Attici xestas.ij.

Amomi)amomum quod nostræ officinæ habent sabulosum spetie,odore nullum,discrepat multum a uero amomo quod describit Dioscorides,propterea non absre fideliores seplasiarij in Italia Venetijs & Patauij curant sibi uerum amomum adportari ex Portugalia.

Mellis Attici) ijs qui in Polonia sunt non deest mel Atticum habet mel Polonicum omnes eas dotes quas Galenus in superiore libro recensuit & libro methodi curatiuæ.vij.

Antidotus zopirios.

CInamomi drac.iiii. stactes myrrhæ dra.v. nardi dra.v.detur magnitudine nucis auel lanæ cum tribus aquæ cyathis semel in anno.

Zopyrios)nomen anditoto est a compositore,erat enim Zopyrus ut ait Scribonius,Gordiensis medicus non minoris authoritatis quàm eruditionis.

Myrrhæ stactes)idest myrrhæ quæ fluit ultro nondum incisa arbore.

Has igitur omnes antidotos quas hucusque descripsimus Andromachus conscripsit,quia ue-

vo ea quæ carmine continentur quo ad mensurã medicinarum certiora, & ad memoriam facilem sunt acommodatissima, ideo eas antidotos quas Damochrates carmine conscripsit dignas scitu deinceps apponam, sumpto iterum initio ab ea quæ uocatur mitridatia.

Nobis libuit carmina iambica Damocratis soluta oratione in latinum uertere, cum propter alia tum maxime, quoniam medici nostri non libenter carmina legunt, ego uero id maxime laboro ut liber iste Galeni præ manibus apud omnes sit, optarim ut parata ex hoc libro ad tuendam hominum ualetudinem præsidia omnes accipiant.

DAmocratis antidotus quam uocant mitridation, efficax (ex sententia insignum medicorum) ad omnes affectus remedium. ita dixit conficiendam esse Damocrates antidotum, myrrhæ Arabicæ troglotidis dra. x. croci drac. x. agarici, zingiberis, cinamomi, spicæ nardi, thuris, thlaspis ana dra. x. seseleos, opobalsami, schœni, stœchadis, costi, galbani, terebinthinæ, piperis longi, castory Pontici, hypoquistidis succi, styracis boni, opoponacis, foliorum malabathri recentium singulorum dra. viii. cassiæ nigræ dra. vii. polii drac. vii. piperis albi, scordii,

seminis dauci Cretici, fructus balsami, cypheos singulorum dra.vii. sunt qui adiiciũt bdellii drachmas totidem, nardi Celticæ, gummi, petroselini, succi papaueris, cardamomi, seminis marathri id est fœniculi, gentianę, rosarum siccarum ana drac.v. aut modico plus, tantundem uero & dictami Cretici, anisi, aristolochiæ tenuis, acori, phu, sagapeni ana drac.v. meu Athamantici, acatiæ, abdominis scinci, seminis hyperici singulorum dac.ii.s. uini & mellis mediocrem quantitatem.

Iussit accipere Andernacus succum petroselini, oblitus præcepti Galeni, iubentis inijcere semen & non succum.

Myrrhæ troglotydis) Troglotæ populi ultra Sabæam in Arabia laudatissimam myrrham colligunt atque adeo ut nonnulli primas partes myrrhæ illorum adtribuant.

Hic somniauit nescio quā medicinam Andernacus, arium, quod quid sit ipsemet dicere nō posset, nostrum exemplar habet aristolochiam tenuem & non arium.

Dictami Cretici) hucusque uero carebamus dictamo, cœpit nunc ex Creta bonum aduehi, dictamum uulgare nullius momenti prorsus est.

Costi) & hoc longe diuersum ab illo priore uulgari iam adportatur, & certe multo melius, utinam hominibus nostris ea adsit diligentia in restituenda re medica, ut possint non minus opere quàm meditatione suum imitari Galenum.

Miu Athamantici) idest mei Athamantici.

QVum uero Damocrates mentionem fecerit cypheos in superiori antidoto, bene profecto fecit quòd eo modo quo ipse cyphi conficere fue-

rat solitus, nos etiam conficere docuerit ijs uerbis quæ sequuntur.

Cypheos compositio.

CYphi mixtura simplex non est, terra illud nulla gignit nec profert, Aegiptij autem dijs quibusdam illo sacrificant, hoc modo conficientes, Accipiunt uuam passam pinguissimam albam, eius corticem auellunt, semina omnia eximunt, pulpam quantitatis drachmarum Atticarum.xxiiii.cum totidem terebenthinæ coctæ drachmis leuigant myrrhæ adiiciunt drac. xii.cinamomi dra.iiii.schœni dra.xii.croci drac. unã, bdellij drachmas iustas tres, aspalathi drac. ij.s.spicæ nardi dra.iii.cassiæ drac.iii.ciperi optimi drac.iii.baccarum iuniperi pinguium & magnarum drachmas totidem, calami aromatici drac.ix.mellis quantum sufficit, uini modicum, bdellium quidem uinum & myrrham in mortariolum iniiciunt terunt ac leuigant usque ad mellis spissitudinem. Mel uero una cum uua seorsim terunt ac leuigant, mixtis tandem simul omnibus, paruos fingunt pastillos, quos ipsi accendunt suffitusque odoratos in gratiam deorum

Falso hic Andernacus pro cipero, iuncum rotundum posuit.

Vide ne te hic decipiant mala pondera Andernaci.

efficiunt. Ita Ruphus artis medicæ peritissimus nos cyphi componere docuit, aliqui qui cinamomo carent loco eius semina cardamomi iniiciunt. Sunt qui eius Pharmaci iis qui hepar habent exhulceratum, aut pulmonem, aut uiscus aliud, drachmam unam bibendam exhibent.

Cyphi, arabes uocant cokion, sunt autem trochisci non eo solum nomine commendatissimi quòd sine ipsis Mithridatiō confici non possit, sed, quoniam tantas tamq; mirabiles dotes in se habeant ut ad sanandos plurimos affectus melos sint certe efficacissimi, quanti habebantur apud principes medicos trochisci cyphi ostendit præter cæteros & ipse Andromachus in libro octauo de compositione medicamentorum secundum loca apud Galenum, primas siquidem partes adtribuit remedio ad hepar affectum, ex cyphi confecto. Componebantur a nostris hucusque secundum descriptionē Auicennæ, quam si quis conferat cum descriptione Dioscoridis libro primo, aut Andromachi libro apud Galenum de compositione medicamentorum octauo aut Damocratis in hoc loco aut Aetii libro tredecimo agnoscet Auicennam ac alios etiam arabes nō paucos cokion suum negligenter composuisse. Imposuit Auicenna & alii Arabes in composituram cyphi bitumen pro aspalatho, opinabatur fortassis Sabor filius Sechel a quo suam accepit Auicenna descriptionē apud græcos idem esse aspalathum & asphaltum, quæ tamen duo tantum differunt quātum differt lignum a bitumine, aspalathum enim lignum est, nostri sandalos uocant odoris grati, facultatis desiccantis refrigerantis & excalefacien

tis,

tis, constat enim ex dissimilaribus partibus, ad prohibendas putredines & fluxiones utile, asphaltum uero bitumen est Iudaicum ingrati odoris, facultatis eiusdem ferè cuius pix est, scio apud Plutarchum inter ea quæ Ægyptii sacerdotes ponebant ad cyphi conficiendum etiam bitumen numerari, sunt enim sedecim quæ Plutarchus numerat, mel, uinum, uua passa, cyperus, resina, seseli, aspalathũ, myrrha, bitumen, iuncus, bryon, calamus uterque, iuniperi baccæ, cardamomũ & lapathum, tamen non licebat Arabibus bitumen posuisse aspalathum uero quod omnes omnium descriptiones ponendum indicant obmisisse, & maxime ubi cõficiendi trochisci, sunt non pro thymiamate seu pro incenso ut dicunt, sed pro medicina intro in corpus assumenda quæ carere potest bitumine, aspalatho certe citra dispendium carere non potest. Non mireris uero quòd sandalos censeam esse aspalathum, nam & si Auicenna ut solet in alio capite egit de sandalis in alio de aspalatho quod ipse Darsaiscahan uocat, uidebis tamen si recte perpendas nomina diuersa rem eandem. Posuit deinceps Sabor baccas lauri pro bacas Iuniperi qua ratione qua audatia nescio, hoc unum scio quòd nemo ex græcis id fecerit, posuit quoque uuam passam rubeam pro uua passa alba quæ uarietas non minus coloris est quam facultatis medicinæ.

QVum Damocrates alias quoque antidotos nõ neglexit quæ dignæ sunt scitu, ideo mihi uisum est illas quoque ita ut ipse carmine descripsit hic adponere, theriacam quidem quo modo ipse descripserit ostendi in libro superiore, nunc

subiungam ordine sequentes.

Damocratis alia.

ANtidotus alia optima, phtisicis etiam inueteratis, sanguinẽ spuentibus, occultas febres habentibus, thoraci infirmo, stomachicis, hepaticis, nephriticis, hæc delicatis hominibus non minus suauis est quam efficax, ferunt Octauium Cæsarem ob male affecta latera debilemque thoracem raro sanum, ea antidoto libentissime fuisse usum. habet uero psillij, cassię, spicæ nardi Celticæ, cinamomi, croci recentis ana drac. xii. opobalsami dra. x. myrrhæ Arabicæ drac. xvi. schœni, terræ Lemniæ, rheu Pontici, seminis rutæ agrestis, amomi, rosarum siccarum, piperis albi, seminis buniados syluestris non domesticæ, horum singulorum drach. iiii. thuris dra. ij. tantundem dictami Cretici sicci quidem sed tamen recentis, tantundẽ & seminis cumini Thebaici. Alia quidẽ igitur omnia debita ut dixi quantitate contunde, leuiga, cribroque subtili secerne, solum psillium in pilam multo uberius iniice contunde, ut inde accipias iam leuigati tantum quãtum opus est, psillium enim

Hic corruptus erat Andernaci græcus codex.

Hic parum fidelis erat Andernacus.

omne ſubtile tenuiſſimumque efficere eſt impoſſibile, modus autem conficiendi is eſt, myrrham uino Phalerno quantũ ſufficit perfuſam in mortario leuiga, opobalſamum deinde affunde, humidæ huic mixturæ omnes alias ſiccas adde, commiſce ac aliquanto tempore uniendi imbibendique cauſa dimitte, interim mel bis aut ter decoque, decoctum affundito, unitam deinde iam bene antidotum in pixide (quæ qualis eſſe debeat dixi antea) ſeruandam repone, eam in iis quos dixi affectibus exhibe.

Occultas febres habentibus) ſolent medici eas febres occultas ſeu ſepultas uocare, quæ nõ ita bene in extremis ſentiuntur, tactus non ſentit nimium ardorem, lingua tamen exaſperatur denigraturq́;, cauſam harum medici febrium latentem alicubi putredinem eſſe exiſtimant.

Roſarum ſiccarum) quis enim neſcit roſas ſiccas uim adſtringentem maiorem habere quàm recentes? in quibus uis calidiorum humidiorumq́; partium adhuc uiget.

Damocratis alia.

ANtidotus alia nimis quàm bona ad eoſdem quos paulo ante dixi affectus, aiunt autem illam aliis eſſe meliorem pro affectibus uentriculi flatuoſis, pro coli, inteſtinorum ac to

tius uentris fluctuationibus ac strepitibus, reddit acumen uisus senibus, morsis a uenenatis bestiis est quàm accõmodatissima. Hanc uero ita cõpone, liquoris Cyrenaici boni drach. i. acori, phu, castorij, asari, seminis cardamomi, gummi, succi acatiæ optimæ, ireos, sagapeni, hyperici Cretici singulorum dra. ij. opobalsami drac. ij. tantundem uero psillij, piperis albi, petroselini, nardi Celticæ, folii malabathri recentis, seminis cumini Aethiopici, meum Athamantici, amomi, succi papaueris, gentianæ, fructus balsami singulorum dra. iiii. styracis dra. v. obol. iii. costi albi, seseleos, thlaspis, cassiæ nigræ drac. v. obolos. ii. schœni, polii ana dra. v. obol. iii. dictami Cretici tantundem & scordii, piperis autem longi, thuris, terræ Lemniæ, myrrhæ, glycyrizæ, galbani, terebinthinæ, sanguinis anatis sicci, opopanacis recentis, seminis marathri, rosarum siccarum, succi hypocystidis, agarici, seminis dauci Cretici, seminis anisi, scinci, singulorum dra. vi. zingiberis bene sicci, cinamomi, croci drac. viii. mellis boni duplum ponderis omnium, uini Chii boni quantum opus est, aut Phalerni anti-

Periculose hic lapsus est Andernacus, suadens uti antidoto in torminibus intestinorum, quum Damocrates aliud uelit.

Vide quanto periculo Andernacus hic posuerit bdellium pro psilio, secus quã uoluit Damocrates.

Agaricum obmisit Andernacus dormiens.

qui, confice eo modo quo theriacam conficere te paulo ante docui, da & utere eo pacto penitus quo theriaca utendum esse dixi.

Liquoris Cyrenaici) idest assæ Cyrenaicæ si arabicæ aut lasseris Cyrenaici si latine loqui malis.

Gummi) sumendum est Arabicum nam hoc omnibus græcis probatissimum est.

Succi papaueris) idest opij, sunt autem duo modi conficiendi eius ut nos docuit Scribonius & Dioscorides, exprimitur enim alterum ex capitibus papaueris syluatici, alterum uero ex folijs eius, illud probatum efficaxq́; est, hoc nullius momenti, solent tamen nonnulli hoc ipsum conficere causa compendij, illud enim cum magno labore exiguũ conficitur, hoc sine molestia & abundanter teritur.

Damocratis alia.

Antidotus alia, ex sanguinibus, quam dicunt non nulli plus posse aduersus deleteria, habet sanguinis sicci anserini dra. ii. testudinis marinę dra. iii. sanguinis anatis, sanguinis hœdini ana drac. iii. melior autem uidetur esse sanguis anatis fœminæ, myrrhæ Arabicæ grossissimæ dra. x. spicæ nardi tantundem, cinamomi optimi drac. vi. rosarum siccarum dra. viii. schœni, thuris, costi, singulorum dra. unã, amomi, piperis albi ana dra. iii. piperis longi dra. unam &

s.croci drac.xii.cassiæ drach.viii.radicis trifolij dra.v.polii tantundem, opobalsami dra.iii.petro selini dra.iiii.baccarum iuniperi pinguium, & acori ana dra.ii.rhei Pontici, meu, dictami ana dra.ii.phu dra.ii.ammoniaci thymiamatis, marathri ana dra.ii.agarici dra.ii.s.rutæ syluestris dra.iii.dauci dra.ii.anisi, asari dra.unam ℈.s.ameos, cymini Thebaici tantundem seminis buniados syluestris dra.iii.scordii dra.v.dixi autem prius scordium Creticum esse melius, mellis boni duplum ponderis omniũ, leuigata omnia subtiliter cocto melli admisce & adserua.

Hic iniusta sunt pondera apud Andernacum.

Sanguinis testudinis) accipiendus est is qui ex uulnere uiuæ adhuc testudinis efluit, non ille qui iam emortua testudine delabitur, potest in satis longum tempus huiusmodi sanguis exsiccatus in pixide adseruari.
Miu) idest mei Athamantici.
Marathri) idest fœniculi.
Scordij) nolim ut pro scordio allium syluestre imponas more nostrorum.

Post has antidotos usq; , Damocrates Mitridatiam primum describit sed quia nos superius illam reposuimus, obmisa ea hoc loco persequamur ea quæ deinde sequuntur.

Damocratis alia.

ANtidotus quã recentiores uocant Charmen, curat dispositiones antiquas malas quibus aliæ medicinæ prodesse non poterant, habet myrrhæ bonæ, opobalsami, succi hypocystidis, thuris boni, opopanacis puri, croci recentis singulorum drac. xij. costi albi, castorij Pontici, terbinthinæ mundæ, schœni singulorum dra. viij. racemorum amomi, polij, cinamomi singulorum drac. iiij. seminis dauci, seminis seseleos drac. vi. corticis cassiæ ruffæ drac. xviij. petroselini seminis tantundem, piperis longi recentis (nam uetus carie corrosum est) drac. xxiiij. piperis albi drac. x. galbani purgati drac. x. spicæ nardi bonæ drac. xvi. scordij Cretici recentis boni drac. bis uiginti & quinque, mellis triplum ponderis omium siccorum, conficito eo modo quo conficiendas dixi alias antidotos, & utere, huius antidoti non satis integram unam libram uendebat Charmes precio drachmarũ Atticarũ mille, credebat autem ipse eo pacto adhuc se gratificari emptoribus.

Improprie dixit Andernacus rubentem cassiam pro ruffa.

Quidam ex familiaribus Charmetis uir fide di

gnus hanc aiebat adprobatiſſimam eſſe antidoti deſcriptionem, ſpicæ nardi Indicæ drac.xvi.myrrhæ bonæ, opij, ſucci hypocyſtidis, opobalſami, opopanacis puri, caſtorij, thuris ſingulorum drac.xij.galbani drac.iiij. terebinthinæ drac.v. polij drac.iiij.caſſię nigræ bonę drac.viij. piperis albi dra.ij.piperis longi dra. unam obolos.ij. croci Corycij drac.x. ſchœni drach.viij.amomi dra.iiij.cinamomi ſeſeleos drac.ij.ſeminis dauci Cretici drac.vi.ſeminis petroſelini drach.xviij. comæ ſcordij drac.viij.bdellij, & perlucētis onychos drach.unam mellis libras.v. & paulo plus. confice diſolutis prius in melle calido ſuccis & reſina, additis deinde ſiccis omnibus, miſcebis & unies, exhibebis eam antidotum ijs quibus expedit eā aſſumere magnitudine nucis auellanæ.

Caſſiam nigrā hic prætermiſit negligens Andernacus.

Hic negligens etiam erat Andernacus.

Charmen) nomen huic antidoto eſt a compoſitore Charmes enim ut inferius dicetur author fuit eius remedij.
Croci Corycij) noſtrum quod ex Auſtria aut Morauia adportatur bonitate Corycio non cedit illo igitur utamur.
Seſeleos) tu accipies pro ſeſelis ſiler illud a noſtris uocatum montanum hoc enim uerum eſſe ſeſeli ſuperius oſtendimus.
Onychos) quod græci uocant onicha latini odoratum unguem nomināt, Auicenna oſtracum ſiue oſtracō eſt autem

operculum

operculum conchilii cuiusdã, res antiquis notissima, mihi uix semel atque iterum illam uidere contigit, duo sunt eius genera alter enim est Babylonius alter ex rubro mari magis lucidus, cuius hoc loco mentionem facit Damocrates.

Damocratis alia.

COnstrictiuam si uis facere antidotum, quæ cohibeat sanguinem fluentem sursum & deorsum, diligenter conficito optimam habiturus, croci Ciliciji boni & recentis drach. xvi. opij, thuris atomi, myrrhę singulorum dra. xvi. corticis radicis mandragoræ drac. viij. seminis hyosciyami drac. xij seminis papaueris drac. vi. cinamomi boni drac. iij. succi rhoos Pataricæ aut Syriacæ drachmas ter uiginti quinque alterius uero drac. xxiiij. modus conficiendi is est, crocum bene mundum uino Cretico dulci duos dies ad maximum macera, quando uidebis iam satis esse mollem & leuigatũ facilẽ, in mortarium inijce, pistillo in tenuissimum læuorem redige, idem facito thuri & myrrhæ simul, idẽ succo rhoos seorsim, macera scilicet, leuiga, prę dictis deinde adijce, quibus commixtis leuigatis ac unitis reliqua omnia adde, mel tandem coctum Atticum, modicum adfunde, ac iterum

Hic falsus est Andernacus.

Hic est etiam Andernacus negligens.

compinge & commisce ut bene unitum efficia citur Pharmacum, translatum ex mortario in uas uitreum aut stanneum repone. Hoc præsentaneum Pharmacum ijs qui uel ex gutture, uel ex uentriculo, uel ex thorace, uel ex pulmone sanguinem exspuunt, exhibe pondere obolorum trium aut modico maiore, in tribus cyathis diluti uini, sed ijs quibus a renibus, aut uesica cum urina aliquid efluit cum uino myrtato & aqua purissima, mitigat dolorem ieiuni intestini, & coli, & tenuium intestinorum omnium, ac uteri, dabis huius Pharmaci quasi drachmam unam cum aqua fluuiali si febriunt, sin secus cum diluto uino myrtato aut dulci Cretico.

Contrarius hic est Damocrati Andernacus.

Thuris atomi) thus quod non ita facile scinditur atomon. i. non sectum dicitur, quandoquidem atomon apud græcos nō solum id dicitur quod nondum sectum est sed etiam illud quod secari difficile potest, thus non sectile alio nomine thus masculum dicitur.

Succi Rhoos Pataricæ) nomen rhoos Pataricum a loco ubi melius prouenit sibi adsciuit, latinum pariter & græcum nomen est rhus rhoos, Arabes dicunt sumach duæ sunt eius species, altera dicitur Patarica siue Magirita siue Syriaca, altera byrsodepsica idest coriaria, utraque species antidotis est idonea, imponitur utraque in trochiscos ex carni-

bus ceruinis compositos et in pantolmium, Damocrates hoc loco iubet accipere Syriacæ drac lxxv. alterius uero id est coriariæ drac. xxiiij.

Corticis radicis mandragoræ, seminis iusquiami) autor est Galenus libro quinto de simplici medicina cap. xviij. uene= num esse mandragoram excepto eius cortice sicco, uenenum esse iusquiamum excepto eius semine, inde est quòd & Damocrates & plerique alij medici, ubi ad bibendum exhibent mandragoram aut iusquiamum semen huius corticem uero illius accipiunt.

Vino myrtato) modum conficiendi eius uini docuit Dioscorides in quinto, conficiebatur olim ex bacis myrti nigris, postea tandem confici solet ex albis.

Dulci Cretico) consueuerunt medici græci passum seu sapam uocare γλυ'κυ id est dulce, dum apud græcos simplici nomine dicitur dulce, intelligitur passum, dum dicitur dulce uinum, intelligitur uinum comune. fit autem passum si latine uis dicere siue dulce si græce, siue sapa ut dicunt alij, aut ex uuis diutius sole adustis precoctisque, aut ex musto decocto. uis illi adstringendi est. Animaduerte uero hoc loco quod dicat Damocrates si das aut uinum myrtatum aut dulce Creticum idest passum dandum erit dilutum idest aqua adtemperatum.

Damocratis alia.

SI autem quis cupiat habere antidotum, non equidem ex multis compositam, in mixturam pauca admodum recipientem, utilem ijs qui habent debiles stomachos, quibus appetitus

deÿcitur, qui concoquere cibos non poßunt, qui cachexia laborant, in uniuersum utilem omnibus doloribus, utilem ad somnum longum & grauem, ferunt Tiberium Imperatorem alia nunquam fuisse usum antidoto nisi hac. Habet piperis nigri uncias quinque, crocomagmatis uncias.xv.rosarum uncias.x.omnia commixta melle excipe.

Hic obmisit nõ nulla Andernacus quoniam corrupta erant in suo codice.

Crocomagmatis) de compositione pastillorum qui crocomagma dicuntur paulo post dicetur, frigidis humidisque affectibus congruit ea antidotus quam hoc loco Damocrates descripsit, erit uero dosis eius & usus is qui est apud Galenum libro quarto de tuenda ualetudine antidoti uocati diacalaminthes adhuc multo calidioris quàm sit hæc Damocratica.

Damocratis alia.

ALia ÿsdem affectibus conferens quibus prior, habet rosarum uncias.vij.alia denique habet omnia quæ habebat prior, commixta & cõtusa omnia melle cocto bono excipe, exhibe magnitudine nucis Ponticæ cum œnomelite aut mellicrato bene satisque cocto, ÿs uero qui a bestÿs uenenatis morsi sunt, aut deleteria ebiberunt, exhibe magnitudine nucis iuglandis cum septem uini aqua diluti cyathis.

Hic multa obmisit Andernacus & multa peruertit.

Nucis Ponticæ) ideſt nucis auellanæ hanc enim Ponticam boni autores uocant.

Oenomelite aut melicrato) quidam arbitrati ſunt oenomeli & melicratum idem eſſe,ſed errant equidē, oenomeli enim ut docuit Dioſcorides lib.v.eſt uinum cum melle mixtum latine dicitur mulſum,melicratum uero eſt mel & aqua mixta ſimul,latine dicitur mulſa,idē didicimus ex Macrobio, idem ex hoc loco Damocratis ſeiungit enim duo hæc tanquam diuerſa inquiens,cum oenomelite aut melicrato.

Rodidos compoſitio.

EAm quoque accurate & diligenter conficere oportet, accipe roſas recentes, florumque folia,tres ad maximum dies in umbra ad ſicandum repone,ex iis libras tres in mortarium conterendas inyce,ſchœni bene tuſi dra. xx. myrrhæ drac.xij. troci drac.viij. commiſce omnia & contunde,paſtillos deinde finge mediocris quantitatis eos in loco umbroſo reconde,ex quibus pro conficienda aliqua antidoto tantum accipies quantum opus eſt. Videbis & hic negligentiam Andernaci.

Rodides) paſtilli ex roſa rodides uocantur quorum multa genera Auicenna conſcripſit et Meſue, nullū eſt tamen ex illis quod uel huic Damocratis,uel ipſius Diaſcoridis deſcriptioni reſpondeat,adeo erāt in conficiendis antiquorum remediis Arabes infœliciſſimi,uſus eorum paſtillorum apud antiquos erat uarius,dabantur in mixtura alterius Pharma=

ci, dabantur & soli triti ad bibendum, dabantur & in diaplasmatis, alligabantur & collo fœminarum loco monilium, compescunt enim sudores nimios, dissipationem caloris innati superfluam prohibent & cohercent, hæc ex antiquissimis scriptoribus didicimus.

Crocomagmatis compositio.

CRocomagma si bonum habere cupis sis in conficiendo illo non minus diligens, accipe croci Cilicij drac. centum, myrrhæ pinguis drachmas quinquaginta, rosarum siccarum tantundem, amyli tantundem gummi albi tantundem, amylum contusum cribro bene secerne uini odorati non diluti modicum affunde, pastillos finge eosque in loco umbroso reconde, hoc deinceps uero crocomagmate utere.

Vide ne te hic falsa Andernaci pondera decipiant.

Crocomagma) si uerbum uerbo exponas crocomagma est unguenti crocini fex uel illud quod restat ex unguento crocino expressis odoribus. Est hic apud Damocratem artificiosior eius compositio quàm apud Dioscoridem in primo, facultates eius hæc sunt, confert claritati oculorum, discutit caliginem uisus, mouet urinam, excalfacit, concoquit, mollit, erat huius usus frequens apud Galenum, in penuria ipsius utebatur agallocho Indico idest ligno aloes uocato.

Antidotus prognostica Damocratis.

PRognosticam eadem diligentia facito, eã antidotũ si prius assumpserint, euomẽt sta

tim una cum cibis quicquid uenenati homines comederint, ij uero qui dubitant nec certo sciunt se comedisse quid piam uenenati, si hanc antidotum postea superbibāt euoment una cum cibis quicquid erat ueneni, quòd si nihil praui nihil uenenati comederint ipsis ne nausea quidem adcurret tantum abest ut uomitus, immo retinebunt optime cibos quos comederunt. Vtilis est ea antidotus & ad dolores laterum, dolores dorsi, uesicæ, renum. Cohibet sanguinem fluentem undecūque erumpat etiam si ex pulmone. Hanc ita conficito , terram Lemniam non adulteratam sed ueram ponderis drachmæ unius & obolorum duorum cum duabus drachmis baccarum iuniperi contunde, leuiga, affundens olei boni non ueteris, dulcis modicum, exhibe cum mellicrato magnitudine nucis auellanæ, quòd si fluxum sanguinis retinere cupias, exhibe cum oxymelite bene cocto.

Aparacharactos id est non adulterata proprium nomen non est ut putat Andernacus.

Falso hic posuit Andernacus mulsum pro oxymelite.

Prognostica) uocatur prognostica quoniam hæc dat nobis assumpti ueneni indicia, uaticinari nos facit de ueneno assumpto aut non assumpto, uaticinari enim seu προγινώσκειν non solum ii. dicuntur inquit Galenus qui futura præsentiūt sed etiam ii qui de præteritis quæ non uiderunt ipsi, cer

to possunt disserere ac si ipsa uidissent, ter in hoc libro Galenus describit hanc antidotum, pro diuersorum autorum descriptione, partim ut indicaret Galenus quòd eius antidoti fuerit diligentissimus partim ut declararet eam habitā fuisse apud principes illos ueteres medicos in frequentissimo usu.

Non adulteratam sed ueram) ueræ & non adulteratæ terræ lemniæ indicia hæc sunt, rubri coloris est, munda est, non ualde læuis, gustu non mordax, modicæ adstringens, tenax quodam modo ac lubrica, ita ut si in aqua disoluatur similis reddatur molli ceræ, reperitur hæc Venetiis apud nobiliores primatesq; uiros, raro autem apud pharmacopolas.

De ijs quæ ab Asclepiade in libro quinto de affectibus interioribus scripta sunt, quæ ipse Asoni ad tribuit.

Consuetudo medicorum neotericorum est uocare antidotos non ea solum remedia, quæ aduersus letalia uenena exhibentur; sed etiam ea quæ aduersus uenenatorum animalium morsus, & quæ aduersus morbos & precipue chronicos aliquorum uiscerum, aut apostemata Partitus est autem Asclepiades omnem antidotorum doctrinam in tres partes, primum scripsit de iis quæ febribus periodicis congruunt ubi agit etiam de inunctionibus quibusdam quæ omnia ipse uocat alexipharmaca,

& lexipyreta, secundo agit de iis quæ morsibus uenenatorum animalium conueniunt, canis scilicet rabiosi, scorpionis, phalãgii, uiperarum, tertium genus apud ipsum bifariam rursus diuiditur aliæ enim antidoti huius generis sunt quæ iam assumptis uenenis competunt, aliæ quæ præseruant à periculo assumendorum uenenorum, quas ipse uocat prophylacticas. Apud Andromachum non is ordo est. Andromachus enim eum ordinem sequitur quem ego a principio huius libri posui, ita ut ipse in libris suis scripsit, ipse enim prius posuit eas quę uenenis & uenenatorum animalium morsibus congruunt antidotos, postremo uero scribit de iis remediis quæ faciunt pro quibusuis affectibus, non solum pro apostematibus, aut letalibus uenenis, aut uenenatorum animalium morsibus, sed etiam pro eiiciendo si opus est ex utero fœtu (nam & eiusmodi medicamenta antidotos nominat) pro conuulsionibus, pro rupturis, & ut breuiter dicam pro omnibus interioribus affectibus, circa quãcunque corporis partem constiterint, huiusmodi autem medicamenta. Asclepiades uocat po-

Hic deerat Andernaco diligentia eius uero codici græco integritas.

tiones in fine libri quarti ubi agit de Asonis antidotis. Postremo igitur descripsit Asclepiades in fine scilicet operis cui nomen indidit Asonis, eas antidotos quæ competunt uenenis iam epotis, & quæ preseruant a periculo assumēdorum, quas mihi hic primo loco ponere libuit tum quia communionem magnam habent cum ijs quas paulo ante descripsimus, tum quia magnus earum usus est ad apostemata cuiuscunque uisceris & cuiuscunque interioris partis corporis, sunt non nullæ ex ijs, quæ etiam debilitati uiscerum cōpetunt, cacochymię, sedationi doloris, cōcoctioni humorū incoctorū, euacuationi insensibili quę fit p superficiē totius corporis, euacuationi sensibili quę fit per urinas, uel alui deiectiones, uel sputa, quæ cum tusse euacuant thoracē & pulmonē, plurimæ sunt ex ijs etiam quæ succos grossos subtiliare, & uiscidos incidere atque abstergere possunt quæ soluunt obstructiones accidētes ut plurimum hepati, quamuis & uisceribus alijs & partibus alijs corporis interdum superueniant, curationis harum potissimus scopus est subtiliare & abstergere humores, extrema uero uasorum oscula aperire.

Alexipharmaca) ea medicamenta quæ uenena arcent, quæ uenenis resistunt medici solent uocare alexipharmaca.

Lexipyreta) quæ febres fugant lexipyreta dicuntur usitatũ est Plinio uocabulum.

Accidentes ut plurimum hepati) causam didicimus ex Galeno quoniam hepar uenas habet exiles in quibus facile impinguntur humores, ad hæc hepar semper aliquid lutosum continet quod præcludere meatum facile potest, proximum gradum habet ad obstructionem splen, cui insunt quidem latiora uasa & substantia rarior sed nutrimentum grossum quòd uelut limus sanguinis est.

Subtiliare, abstergere, aperire) quattuor sunt præcipua genera medicinarũ quæ obstructionibus medẽtur intro accepta. Primum est eorum quæ leptyntica idest subtiliatiua dicuntur, debentur hæc grossis humoribus, talia autem sunt quæ calida sunt cum subtilitate partium, horum enim proprium est subtiliare. Secundum genus est eorum quæ ryptica idest abstersiua dicuntur, debentur hæc humoribus tenacibus qui uasis adhærent instar uisci aut bituminis, abstergentia sunt quæ uel amara sunt, uel salsa, uel acida cum subtilitate partium. Tertium genus est eorum quæ tmetica idest incisiua dicuntur debentur hæc uiscidis humoribus qui non facile dissipantur incidunt autem ea quæ uel acida sunt uel acria, cũ subtilitate partium. Quartum genus est eorum quæ anastomatica medici uocant id est aperientia uasorum osculа, debentur hæc omnibus qualibuscũq; humoribus obstructionem facientibus sed non quolibet tempore, aperiunt autem quæ acria sunt crassæq; substantiæ. Cum igitur inter ea medicamenta quæ hic nobis Galenus ex Asclepiade profert sint & calida & amara multa & acida, & salsa, & te=

nuis & crassæ substantiæ, uere de illis possumus dicere quòd obstructionibus medeantur.

Pro ijs qui letale aliquid hauserunt Asclepiadis omnia ad uerbum.

Iis qui papaueris succum ebiberunt confert hydrelæum calidum statim epotum uomitus excitandi gratia, aut aqua calida cum oxymelite ut excitet uomitum, commodum est & aluum clysmate euacuare.

QVi meconium hauserunt ijs uinũ merum multũ ilico dandum est, aut piper cum uino, aut cardamum, aut cardamomum, utile fuerit etiam lac bibere asininum aut uaccinũ, uentri cataplasma adponendum est ex farina tritici aut hordei cocta in uino utendum est & clysmatibus mitioribus. Qui aconitum hauserunt ijs confert rutam quanta manu capi potest leuigatam dare cum uino mero.

Qui altercum ederunt ijs lac confert maxime asininum, si hoc haberi non potest, aliud aut solum acceptum, aut cum mellicrato calido.

Qui uiridi coriandro usi sunt ijs uinum merum potum confert & ius gallinaceum pingue.

Hydræleum) idest aqua oleo immixta.
Clysmate) idest enemate iniecto clystere
Meconium) duo sunt græca nomina opium scilicet & meconium diuersa diuersarum etiam rerum, opium enim uocatur liquor qui inciso caule papaueris nigri emanat, meconium uero qui decocto uel crudo papauere exprimitur hunc latini succum papaueris uocant illum uero lac papaueris aut lachrymam, apud Galenum tamen non semper obseruatur hæc differentia.
Aconitum), idest napellus.
Alteraum) idest iusquiamū, nomen alterci inde apud latinos deductum est ut ait Scribonius, quoniā ii qui iusquiamū biberunt mente abalienantur cum quadā uerborum altercatione.

Ius gallinaceum pingue) græca litera ubique habet ζωμὸς ὄρνιθος λιπαρᾶς idest ius gallinæ pinguis, solent græci gall s ἀλλεκτόρας uocare, gallinas uero ἀλλεκτορίδας & ὄρνιθας, hoc propterea adnotaui ut scias hic sermonem esse de iure gallinæ, non galli, plurimum potest ex sententia antiquissimorum medicorum ius gallinæ ad uenena potum, uentrem tamen retinere uidetur sicut ius galli antiqui solere. Vide quòd hic ius gallinæ magis exhibetur causa alterandi quàm euacuandi.
Aut solum aut cum melicrato calido) adiungitur lacti melicratum ut ne acescat, ut uenenum magis abluatꝰ, ut citius descendat. Scito autem plurima remedia quæ hic ab Asclepiade scribuntur inuenta esse methodo & iudicari ipsa ratione, quod ut intelligas libet hoc mihi paulo altius examinare, Didicimus ex præceptis medicorum duos esse modos quibus ueneno occurrimus alter est euacuandi quod noxium est alter uero alterandi ipsum quod nocet, euacuamus autem

aut iis quæ adtrahunt similitudine totius substantiæ ueluti magnes ferrum aut ijs quæ calida sunt calidi enim est adtrahere, hic reponimus & ea quæ manifesta ui adtrahunt ut sunt cucurbitulæ, cornua, quidam etiam ore suo uirus ex affecto membro extrahunt, ad hoc genus pertinent & caute ria, & prouocatio nauseæ, & lubrificatio uiarum, Alteramus autem aut ijs quæ una uel duabus qualitatibus ueneno contrariantur si enim uenenum est frigidum damus calida si calidum damus frigida, aut ijs quæ tota sua substantia cõtraria sunt. Quattuor itaq; sunt uniuersæ remediorum contra uenena differentiæ, prima est euacuantium ui manifesta nempe calido uel succæssione uacui & similibus, secunda est euacuantium totius substantiæ similitudine, tertia est alterantium una uel duabus qualitatibus, quarta alterantium contrarietate totius substantiæ, prima & tertia, ratione inueniuntur iudicantur q; secunda & quarta solius est experiẽtiæ, si modo uerum est illud quod dixit Galenus in libro de tuenda ualetudine, quod tota substantia idoneum maxime est sola experientia discernitur, atque illud quoq; quod in libris de ratione curandi scriptum reliquit, eorum quæ contraria qualitatibus sunt methodus est, idest ratione inueniuntur iudicantur q; eorum uero quæ tota substantia sunt aduersa methodus non est sed omnia per experientiam sunt inuenta. Iam uero uideamus ad quas pertineant differentias ea quæ hic ab Asclepiade proferuntur, uinum merum, piper cum uino, cardamun, cardamomum ea causa dantur ut calore si o uenenum conficiant uincantq;, cataplasma ex farina & uino non ne hoc idem præstat? scimus certe non ea solum calefacere quæ qualitatem caloris intendunt, sed etiam ea quæ substantiam caloris augent & retinent, id quod effi

ciunt emplastica uocata medicamenta, ea enim obturant po=
ros, præcludunt meatus quibus calor dissipatur, quæ autem
emplastica sint, & quot emplasticorum species, satis abunde
Galenus docuit, neminem certe dubitare existimo cataplas=
sma ex farina & uino naturæ esse emplasticæ, eius spe=
tiei quæ dicitur emplastica sicca. Porro hydræleum, aqua ca
lida cum oxymelite, lac, clysmata quis nesciat ad primam ale
xipharmacorum differentiam referri debere? uides igitur
quòd aut omnia aut plurima Asclepiadis remedia ad primã
& tertiam differentiam pertineant, harum autem est me=
thodus has ratio probat, his maxima fidutia debetur, uolui
de ijs commonefacere lectorem ut ea quæ hic describuntur
remedia maximi momenti esse cognoscat, non fallunt enim
ea quorum methodus est, decipiunt autem nos interdum ea
quæ sola experientia probantur, uides autem Asclepiadico=
rum medicamentorum omnia ferè ad methodum pertinere.

Qui leporem marinum ederunt ijs congruit lac
dare ad bibendum maxime quidem asininum,
quòd si hoc haberi nequit uaccinum, aut capri=
num, dandi sunt illis & caules maluæ bene co=
cti, uel coquendus pulegij pugillus & cum passo
contundendus & ebibendus, aut radicem cycla=
mini contere cum uino, aut picis cedriæ ponde=
re oboli unius aut semioboli, da cum passo.

Lac dare ad bibendum) lac datum ad uenena calida quæ ro
sone occidunt qualis est lepus marinus, buprestes, canthari=
des, ad tertiam alexipharmacorum differentiam pertinet

(de qua superius diximus) qua ratione abluit abstergit ac uias lubricat ut uenenum citius descendat, at qua ratione laceratas partes retundit, oblinit, mordicationes mitigat ad primam differentiam refertur, & hoc est quod uoluit Galenus in decimo de simplicium medicamentorum facultatibus ubi inquit, sic mihi uidentur etiam medici ad uenena quæ rosione interimunt lac dari suadere nempe causa oblinendi particulas laceratas & leniendi acrimoniam ueneni: Hoc ideo adnotaui primum ut ne quis nos reprehendat quòd superius lac ad alexipharmacorum primam differentiam rettulimus, nimirum lac pro diuersitate naturæ diuersarum partiũ ex quibus constat (constat autẽ ex sero, butyro, & caseosa substantia) diuersos præstare effectus & ad diuersa alexipharmacorum genera reduci potest. Secundo hoc ideo adnotaui ut intelligatur quo animo & ad quem usum hic singula exhibeantur.

QVi toxicum biberunt iis uinum auxiliatur dulce potum & oleum rosatum, sanguis caprarum, semen buniados tritum cum uino epotum.

QVi ephemerum ederunt iis congruit succus polygoni, aut arnoglossæ, aut origani, aut portio thymi cum uino.

Iis qui dorycnio usi sunt auxiliatur lac uaccinũ potum, passum, ius seu brodium conchiliorum.

Toxicon) nomen erat peculiare toxicum cuiusdam ueneni quo sagittæ tingebantur, a τόξον enim græco nomine toxicum est deductum, quod autem illud fuerit uenenum ne

mo

mo certo dicere potest nec debet, nam & Galenus non libē=ter huiusmodi scelerum occasionem reuelat. Scribit tamē Plinius uenenum ex succo taxi arboris toxicum esse appellatū. Ephemerum) hermodactilorum speties est.

Dorycnion) soporiferum letaleq; uenenum est hoc græci aliter strychnon manicon uocant, latini solanum insanum quarta speties est solani, habet folia erucæ sed maiora, de hoc scribit Theophrastus si detur bibendum pondere dra=chmæ unius ioco, efficiet ut pulcherrimus sibi uideatur qui biberit, si magis insanire hominem uolueris uisaq; aliqua animo eius obuersari detur pondere drachmarum duarum, quod si exhibeatur pondere drachmarum trium admisceatur=q; centaurium furor nec insania unquam desinet, peri=mit hominem si detur pondere drachmarum quattuor hæc Theophrastus.

Ius conchiliorum) utilia ad eam rem sunt ut uetustissimi medici docuerunt omnis generis conchilia locustæ uocatæ marinæ, & gammari uocati & ex ijs iura.

Iis qui fungos ederunt dabis raphanos crudos ad comedendum plurimos, dabis & uinum me=rum, dabis & decoctum lixiuium ex pampinis, & nitrum leuigatum cum aceto, aut fecem uini u=stam contritam cum aqua, aut absinthium cum aceto, aut rutam liuigatam cum aceto, bene faci et si quis & solam rutam comedendā exhibeat.

QVi ixiam biberunt ijs auxiliabitur absynthium potum cum uino, castorio, & ruta, confert ijs &

oxymel potum causa excitandi uomitus, confert & origanum cum uino, utendum est & sequenti composito remedio rutæ drac. vi. resinæ drach. iiij. castorij drac. ij. chamæleontos cochlearia. iij. hæc contere, aceto calido dilue, & exhibe.

Ixia) hærba cui nomen est chamæleon alio nomine dicitur ixia, duæ eius sunt species, est chamæleon niger latini uocant carduum nigram, alter est chamæleon albus latini uocant carduum minorem aut carduum pineam, radix nigri chamæleontis uenenosa est, de hac hoc loco sermo est. Chamæleontos cochlearia tria) idest cardui albæ seu cardui pineæ drachmas tres, nam docuimus superius cochleare maius drachmæ nostræ pondus esse, Dioscorides chameleontis huius exhibet acetabulum siue oxybaphum. Vellem autē ut hic animaduertas chamæleonta & chamæleam diuersissimas esse plantas de altera egit Dioscorides in tertio de altera libro quarto, uidetur autem ipse Mesue hæc tria chamæleonta scilicet album, chameleonta nigrum, & chameleam immo & thymelæam sub uno quasi genere comprehendisse sub mezereo scilicet, datur id illi uicio a multis eruditis uiris, chamælea enim quæ latine oleastellus dicitur diuersissima omnino est ab utroque chamæleonte & thymelæa.

Qui buprestem ebiberunt ijs auxiliatur passum potum, deinde uero uomitus, & ius decoctum carnis suillæ, lac calidum, comestio rerum multarum quæ nauseam excitant, dandum est & decoctum ficuum ad bibendum, & drachmæ quat-

tuor nitri leuigatæ cum aqua & epotæ.
Qui cantharides assumpserunt, ijs confert bibere passum cum oleo, aut pinguedo aliqua cocta aqua diluta causa excitandi uomitus, confert lac multum potare, comedere nucleos pineos multos, aut nucleos pineos contere cum mellicratoque bibendos exhibe, aut rutã leuiga, & cum unguento irino commixtam ad bibendum da, aut ex cantharidum alis & pedibus tritis cum melle eclegma offer.
Qui psilotrum adsumpserunt ijs bibendum est oleum calidum multum causa uomitus, confert ijs & lac caprinum potum, & liquor maluæ coctæ cum mellicrato calido aut cum oleo, aut decoctũ caricarũ cum oleo, aut sesamũ tritum cũ uino, aut nuces iuglandes quinque tritæ epotæ cum oleo, aut conia cineris pampinarij epota.
Qui lithargyron ebiberunt ijs auxiliatur piper, apium, myrrha cum uino leuigata & epota.
Qui gypsum adsumpserunt, ijs dare oportet colaturam cineris pampinarij, & thymum contritum cum aqua.
Quibus lac ebibitum in grumos concreuit, ijs

confert bibere acetum, dandum est & coagulum cum aqua fontana, aut æqua portione silphium & sulphur cum oxycrato.

Qui taurinum sanguinem assumpserunt ijs confert acetum calidum potum, ijs confert uomitus, aut succi silphij obolus unus aut semiobolus, aut nitri oboli duo cum uino, aut fructum caprifici tritum potandum exhibe cum aceto, ijs congruet & uentris euacuatio & cataplasma calidum ex farina & nitro coctis in oxymelite.

Hic nescio cur de lupino loquatur Andernacus.

Qui hirudinem seu sanguisugam ebiberunt ijs ex sententia non nullorum, bibenda est halme, ex sententia aliorum bibebda est nix, Asclepiades autem paruam spongiolam lauari iubet & impletam aqua frigida intro demittere ut hirudo ipsam adtingat illique affixa educatur, postea dabat succum lentis, exterioribus autem colli partibus iubebat frigida apponere cataplasmata. Mys autem Apollonius dare censet ad bibendum acetum accerrimum, postea halmen, dabat & niuem sed disolutam, deinde uero oportuno tempore uentrem purgabat soluētibus medicinis quas exhibebat in cibo & potu, causa ex

cernendarum hirudinum, dicit enim ipsas una cum alui deiectionibus sæpissime extra ferri, Qui cerusam ebiberunt, ijs confert oleum bibere calidum causa ciendi uomitus, confert illis & passum bibere, & aquam calidam causa uomitus, confert illis & lac asininum, liquor quoque maluæ coctæ, aut mellicratum una cum oleo, aut decoctum caricarum una cum alijs, nuces iuglandes quinque leuigatæ, & cum oleo potæ, aut colatura cineris pampinorum.

Buprestis) animaal tum forma tum uiribus cantharidum simillimum.

Passum) idest sapa.

Decoctum) decoctionem nostri uocant.

Irini unguenti) nota est satis apud Dioscoridem eius descriptio.

Eclegma) latini omnes ueteres & græci eclegmata uocant quæ Arabes loch dicunt.

Psillotrum) Arabes uocant alphescæra latini uitem albam seu brioniam cuius radix si ultra modum sumatur plurimū obest.

Sesamum) uulgo dicitur rizum.

Conia) idest lixiuia siue aqua cineris.

Coagulum) laudatur in primis coagulum leporis hinnuli, dein porci, agni.

Pampinarij) ex pampinis abscisis a uite siue strigmentis.

Silphium) latine laserpitium dicitur herba est ex qua fit las-

ser seu assa de qua superius diximus.

Oxycrato) latini poscam uocant, est autem acetum aqua dilutum.

Caprificus) sic uocant ficum syluestrem cuius fructus plus alijs nauseam mouet.

Halme) halmen Romani muriam uocant est autem salsugo piscium res putredinibus & dysenteriæ accommodatissima. Laudatur a Galeno in primis muria silurorum salscrum & menidum quas uulgari sermone Itali menulas uocant, simile est apud Polonos genus piscium quos ipsi okunye uocant.

Sucus lentis) datur succus lentis causa commouendi uentrem, frigida cataplasmata aplicantur ut hirudo alliciatur ad ea & exeat ut ait Aetius.

De uenenis compositis.

DE uenenis letalibus simplicibus hucusque diximus iam de compositis dicemus, eorum tamen compositiones non efferam hoc enim mihi uideretur flagitiosum facinus, conati sunt non nulli eorum compositiones conscribere, ex quorum numero erat Orpheus uocatus theologus. Orus Mendesius, & Heliodorus Athemensis poeta tragicus, & Aratus & alij quidam, quos quidem aliquis eo nomine admirari poterit quòd de iis rebus libros carmine conscriptos componere potuerint, sed reprehendet

multo magis quòd huiusmodi libros in lucē æ-
diderint, quorum poemata malæ fidei homines
in proximis suis experiri quando uolent pote-
rint, hi equidem boni (si dijs placet) poetæ qum
sibi a populo timerent, in initio suorum libro-
rum conantur persuadere lectores se malis mo
ribus non fuisse, se prauorum operum præce-
ptores non extitisse, id quod uidere est etiam a-
pud Heliodorum in apologeticis ad Nicoma-
chum, sic enim scribit.

Hic nonnul la immutata sunt apud Andernacum.

Testor te belli dux Mars te Phœbe perennis.
Qui diuorum ædes inspergis lumine celsas.
Te qui sceptra gerens, testor supreme deòrum
Iupiter, ætherei regnum moderaris olympi.
Me nec muneribus nec amore ullius amici.
Nec spe allectum lucri, pia pectora certe.
Insontesque manus uobis proferre paratus
sum semper.

Eiusmodi uerbis nituntur bene persuadere le-
ctores quum alioqui a multis sibi timerent. Nec
licet dicere propterea letalium uenenorum com
positionem discendam esse ut auxilia aduersus
illa facilius reperiamus, hoc certe falsum est, is

enim qui potis eſt auxilium adferre ijs qui ſim-
plex aliquod uenenum hauſerunt, ſi ſingula acci
dentia quæ affectis ita hominibus accidunt dili-
genter perpenderit, futurus eſt optimus adiutor
& ijs qui compoſita ſumpſerunt, animaduerſis
iis ſymptomatibus quæ alia in complicatione ex
cellunt, ſed redeamus ad propoſitum. Si igno-
ras quod fuerit uenenum quod quis edit aut bi-
bit, exhibe calidum hydræleum multũ, ut excites
uomitum, prohibe ſomnum, utile etiam fuerit
cauſa præſeruandi ab huiuſmodi uenenis uti ſe-
quentibus antidotis compoſitis.

Quæ alia in complicatione excellunt) ſi medicus ſaue
rit communia ſimptomata uenenorum id eſt quæ ſpetiem
ueneni indicant, facile poterit remedium inuenire quo ſuc
currat illi qui uenenum hauſit adiunctis etiam ſymptomati
bus particularibus ideſt quæ non ſolum ſpetiem ſed etiam
certum ſpeciei uenenum commonſtrant, exemplum ſympto-
matis communis. Vbi uidet mordicationes, corroſiones, ſta-
tim colligit uenenum eſſe ex genere calidorum lacerantium
quale eſt hydrargyrium extinctum ideſt argentum uiuum
extinctum, arſenicum &c. ſi uidet ſuperuenire inflamma-
tiones, ruborem oculorum, ſudorem colligit inde uenenum
compoſitum habere in ſe calidum uirus ſed nõ lacerans, ubi
uidet ſuperuenire profundum ſomnum, frigus, ſtuporem co-
gnoſcet uenenum eſſe ex genere frigidorum, ubi uidet debi

litatem

litatem, casum uirtutis, primordia syncopis, colligit uenenum esse ex eorum spetie quæ tota sua substantia aduersantur homini, exemplum particularium symptomatum. Mordicatio in uesica cantharides indicat, tumor linguæ ixiam liuidi articuli aconitum, lingua alba cõmissuræq; dentium albæ cerusam, altercatio, liuor membrorum, insania iusquiamum, pruritus oris deinde uero morsus uentriculi, postea sputum sanguinis indicant ephemerum fuisse in composito ueneno, ex ijs igitur symptomatibus cognoscat medicus quale fuerit uenenum compositum etiam si compositionem eius ignoret, quòd si multa fuerint symptomata uidendum quod nam in huiusmodi complicatione excellat & magis hominem crutiet illi enim succurrendum in primis quod magis urget.

Antidoti præseruatrices a uenenis, Apollonij muris.

Rutæ folia. xx. nuces iuglandes. ij. salis glebulam unam, caricas duas, hæc ieiuno comedenda exhibe, prohibent enim nocumenta uenenorum.

Eam antidotum græci & Arabes ab Apollonio acceptam studiosissime describunt, utuntur ea passim in pestilenti aeris statu, est autem Arabum descriptio paulo diuersa ab hac, accipiunt enim illi rutæ siccæ partes xx. nucum partes ij. salis partes v. ficuum siccarum partes. v.

Antidotus prophylactica.

BAccarum iuniperi drac. ij. terræ Lemniæ drac. ij. obolos. ij. hæc contere & oleo excepta adserua, quando uti uolueris exhibebis ma-

gnitudinem nucis auellanæ cum hydromelitis cyathis duobus, hac semper usus est rex Nicomedes quandocumque habebat hos cum quibus uersabatur suspectos, hæc antidotus si nihil ueneni cuipiam qui illa utitur est exhibitum, manet intus quiete, si uero uenenum illi est exhibitum, nauseam mouet, uomitum excitat, uenenum eijcit.

Ter ex diuersorum autorum sententia Galenus hoc in libro hanc autidotum describit, inde conijcias quanti illam fecerit Galenus.

Antidotus Codij Tusci qua & Craterus usus est prasii, hærbę sacræ, seminis rutæ syluestris, scordij, corticis radicum rhāni singulorum partes æquales, melle excipe & exhibe causa ferarum uenenatarum dra.ij. cum uino, causa uero letalium uenenorum cum œnomelite & oleo.

Herbæ sacræ) reperio apud antiquos medicos tres hærbas uocatas sacras, prima est peristereon apud Dioscoridem quam nostri uocant uerbenam columbalem & uerbenacam alij cincinalem cuius duæ sunt speties altera enim uocatur supina uerbenaca altera recta, Scribonius betonicam, hærbam sacram apud græcos uocari asserit, nisi mendum sit in litera & pro betonica bretanica sit legendum qua utitur ad uenena ipse Damocrates habetq; loco lycij Indici, Elelisphacū quoque idest saluiam Dioscorides hærbam sacram uocat, ego

uterer in hac antidoto uerbenacā.
Radicum rhamni) rhamnus non est rubus etiam ipso Aui cenna teste, uocatur rhamnus apud Auicennā hausegi, hunc alii spinam albam uocant, alij spinam ceruinam, habet fructum myrti, foris nigrum intus uiridem, cortex frutias niger & nitidus ueluti cerasi intra est uirens post luteus, lignum exteriore parte candidum interior medulla uiret. Conatus est Marcellus contra communem ferè omnium bonorum medicorum opinionem ostendere rhamnum non id esse quod spina ceruina uocatur, si tamen diligenter quis argumenta Marcelli examinet perpendatq; uidebit nulla esse prorsus.

Alia Apellis.

DIctami drac.ij.polij drac.iij.piperis longi dra.iij. rutæ syluestris drach.vi. scordij dra.iij. melle excipe, & eo modo quo dictum est exhibe, est & pleureticis bona data pondo obolo iij. ciet & menstrua mulieribus data pondo olcæ unius.

Antidotus Mithridati athanasia uocata, aduersus uenena & omnes uenenatorum morsus & ictus, utilis est stomachicis quibus cibi acescunt, hæmoptoicis, tussi antiquæ, hepaticis, spleneticis, affectibus uesicæ & uteri, eius compositio sic se habet, piperis albi coccos.xxxx. costi, meu, asari, acori; seminis dauci Cretici, petroselini,

nardi Indicæ, lapidis nestoritis ana drac.iiij. croci, myrrhæ ana dra.viij. cinamomi, cassiæ, ana dra.xij mellis cocti Attici quantum sufficit dosis est magnitudo nucis auellanæ cum œnomelite diluto.

In alia descrptione sic habet, spicæ nardi, piperis albi, costi, meu, asari, acori, opobalsami, seminis dauci Cretici, seminis petroselini singulorum dra.iiij. croci, myrrhæ, floris schœni, ana drac.viij. cinamomi, cassiæ ana drach.xij. mellis quantum sufficit.

In alia descriptione sic habet, piperis albi coccos.xxxx. costi, meu, acori, agarici, scordij, dauci Cretici, petroselini, ana dra.iiij. croci, myrrhæ ana dra.viij. cinamomi, cassiæ, floris schœni ana dra.xij. mellis quantum sufficit.

Coccos.xxxx.) idest grana.

Lapidis nestoritis) nisi sit hæmatites lapis is qui hic nestorites dicitur prorsus nescitur quis sit, est autem hæmatites pro sputo sanguinis, affectibus uteri & uesicæ mire accommodus.

Ambrosia Philippi Macedonis aduersus letalia uenena & morsus uenenatos, utilis est & ad affectus malos interiores styracis, galbani, pipe

ris albi & longi, cinamomi ana drac. ij. seminis apij, anisi, floris schœni, costi, cymini Aethiopici, seseleos, cypheos, rhei Pontici, cardamomi, amomi, nardi, myrrhæ, cassiæ ana drac. iiij. palmularum purgatarum, nucleorum nucum, ana drac. vi. croci drac. viij. uuarum exemptis acinis drac. xij. mellis Attici quantum sufficit, compone modo priore.

Nihil hic dictum est quod non sit expositum prius.

Antidotus Zopyria facit ad letalia omnia uenena & omnium serpentum ictus.

E hac fertur quiddam tale, Zopyrus sua epistola petijt Mithridatem ut hanc experiretur antidotum, uoluit ut accerseret unum qui mortis condemnatus esset illamque illi exhiberet bibendam aut post epotum uenenum aut ante epotum uenenum petijt ut & hoc idem faceret alicui quem a serpentibus aut toxicis lædi iuberet, quum hoc fecisset Mithridates, homo qui bibit integer & ilæsus exstabat. Vtilis est & stomachicis ad ructus acidos, hemoptoicis, cœliacis, disentericis, hepaticis, spleneticis, epilepticis, nephriticis, sanat affectus uesicæ, & uteri,

Hic corruptus erat Andernaci græcus codex.

Mire hic transtulit Andernacus.

educit fœtus emortuos, ſecundas retentas, compoſitio eius ſic habet, opobalſami drac.ij. nardi Indicę, myrrhæ troglotidis, florum ſchœni, cinamomi, charatij, coſti recentis, piperis longi, hypocyſtidis, polij, piperis Pereatici, ſcordij, meu Cretici, cardamomi ana drac.iiij. thuris, granorum balſami, dictami ana dra.vi. petroſelini, caſſiæ ana dra.vij. croci Coricij dra.viij. mellis Attici quantum ſufficit, doſis eius eſt magnitudo nucis auellanæ cum uino ijs qui non febriunt, cum hydromelite ijs qui febriunt.

Characium epitheton non eſt cinamomi.

Charatij) charatias prima eſt ſpeties tithymali ſeu hærbæ lactariæ purgat pituitam & bilem.

Piperis pereatici) a loco unde optimum adfertur nomen accepit nobis Pereaticum exſpectare opus non eſt quum nobis præ manibus ſemper ſit piper optimum.

Antidotus ex ſanguinibus aduerſus uenenatorum morſus & uenena omnia.

PIperis longi & albi, coſti, acori, croci, phu, meu, dictami Cretici, ammoniaci, agarici ana drac.ij. amomi, opobalſami, ſeminis rutæ ſylueſtris, cymini Aethiopici, aniſi, ſanguinis anatis maris & fœminæ, ſanguinis ſicci hœdini, ſanguinis anſerini, ſeminis napi ſylueſtris ana

drac.ij.gentianę,trifolij.florum ſchœni,thuris, roſarum ſiccarum ana drac.iiij.petroſelini dra. v.polij Cretici tantundem, cinamomi drac.vi. florum ſcordij dra.vij.myrrhæ,nardi ana dra. decem,croci dra.xij.caſſiæ dra.vij. contundito omnia & leuigata diligenter,melle deinde Attico cocto excipe,in pixidem argenteam repone & adſerua,utere deinde ut maximo Pharmaco.

Omnem ſpem redimendi ſe a uenenis omnemq; fiduciam antiquiſſimi illi principes medicinæ reponebant in ijs tribus antidotis quas hic ordine deſcribit Galenus,prima eſt quam uocant ex ſanguinibus quoniam triplicem in ſe ſanguinem comprehendit,ſecunda uocatur dia ſcincu idest ex ſcinco compoſita,tertia mithridation,uulgatiſſimæ & notiſſimæ hæ erant antidoti apud antiquos,atque adeo ut Dioſcorides ſe idarco deſcribere eas noluiſſe teſtetur quoniam aliorum ſcriptis erant decantatiſſimæ & uſitatiſimæ.

Antidotus Mithridatis Eupatris quæ dicitur dia ſcincu, utilis ad uenena letalia ad omnem prauam materiam,ad ictus uenenatos, ad interiores affectus,iuuat ad conceptionem, educit menſtrua fœtus mortuos ſoluit retētasq; ſecundinas,ad febres periodicas utilis, ad tremores, opiſthotonicis,iſchiadicis,podagricis,ad omnes neruorum dolores,eius compoſitio talis eſt.

SCinci, ſagapeni, acori, phu, hyperici, acatię, ireos, meu, gummi ana dra. ij. roſarum ſic-carum, gentianæ, cardamomi, ana dra. iij. ſemi-nis papaueris obol. ij. ſtyracis dra. viij. polij, caſ-ſiæ nigræ, ſeſeleos, bdellij, balſami fructus, pipe-ris albi ana dra. v. obol. ij. ſucci hypocyſtidis, opo panacis, myrrhæ, thuris maſculi, caſtorij, pipe-ris longi, cyphi, foliorum malabathri ana drac. vi. ſcordij, coſti, floris ſchœni, galbani, reſinæ, terbinthinæ ana drac. vi. obol. ij. nardi Syriacæ, opobalſami, thlaſpis, dauci Cretici ana drac. vi. obol. ij. croci, cinamomi, zingiberis ana dra. vi. obol. ij. ſucci glycyriſſę, agarici ana dra. vij. obol. ij. Componitur autem hoc modo, cyphi, hypo-cyſtidis, ſagapenum, gummi, papauer, ſtyrax, opopanax, in uino Chio macerantur noctem & diem, uſque dum bene reſoluantur, reliqua au-tem omnia contunduntur & ſubtiliſſimo cribro ſecernuntur, adduntur deinde illis quæ ſunt ma-cerata & leuigata, ubi omnia ſimul bene mixta fuerint, totum illud compoſitum, melle Attico cocto excipitur tanto quantum liquidam antido-tum non reddet immo ſpiſſam, omnibus iam uni

tis

tis postremo adijcimus opobalsamum, excipimus deinceps ex mortario & in uas argenteum asseruandam antidotum reponimus. Vsus eius est ad multa, dosis secundum robur uirtutis, nos ad augendam antidoti efficatiam, ut ad educenda menstrua sit ualidior, & ut citra periculum fœtus mortuus efferatur, adponimus dictami Cretici dra.iiij. ammoniaci drac.ij. seminis rutæ syluestris dra.ij. cimini Aetiopici drac.vi. seminis trifolij drac.iiij. napi syluestris drac.iiij. chamædryos dra.iiij. rhei Pontici drac.ij. succi Cyrenaici dra.ij. ijs appositis usus Pharmaci ad multa est utilior, corrumpit fœtus quadrimestres, trimestres educit.

Hic periculose errauit Andernacus.

Omnẽ prauam materiam) idest φθορωποιὸν ὕλην quales fiunt in pestilentiis, ac alijs dispositionibus uenenatis. Iuuat ad conceptionem) animaduertendum est quod ea antidotus iuuat ad conceptionem sed non omnes mulieres nec quolibet tempore, illas enim tantum iuuabit (si modo naturam eorum ex quibus conficitur perpendas) quibus humiditas & frigiditas in causa est quo minus concipiant, id quod ut plurimum euenit teste Auicenna & in pluribus mulieribus, quare si ante coitum huiusmodi mulieres excrementa frigida & humida expurgauerint postea uero, ea antidoto uterum siccauerint calefecerintq; mediocriter, cõceptio multo futura est facilior, alioqui ea antidotus prout et aliæ similes

importuno tempore exhibitæ plurimum obsunt, amara enim omnia, atque ea quæ menstrua educunt si post coitum exhibeantur, conceptibus plurimum obsunt.

Mithridatis theriaca.

HAc usus est semper rex Mithridates causa præseruationis a uenenis omnibus, quum a Romanis bello deuictus fuisset mori cupiens bis uenenum hausit, quum mori non posset, gladio se ipsum transfixit, utilis est ad uenenata omnia, ad morsus & ictus uenenatos omnes, ad affectus interiores, hac usus est Andromachus, eius compositio talis est, pastillorum squilliticorum dra. xxxxviij. pastillorum theriacorum, piperis nigri, hedichroi, succi papaueris nigri dra. xxiiij. rosarum siccarum, schœni, polij, scordij, seminis buniadis, ireos Illyricæ, agarici, cinamomi, succi glycyrissæ, opobalsami ana dra. xij. libanotidis dra. viij. myrrhæ, croci, zingiberis, rhei Pontici, radicis pentaphylli, calaminthæ montanę, prasii, petroselini, stechados, costi, piperis albi. thuris dr. i. obo. ij. cassię nigræ dra. iiij. piperis longi dra. unam & nigri dra. unam, meu, asari, acori, dauci seminis, sanguinis anseris sic-

Nescio cur hic dicat Andernacus papauer Hispanum pro nigro.

Hic ex nostro exemplari nos multa restituimus ut uides.

ci, ſanguinis anatis ana dra.ij.mellis Attici co=
cti quantum ſufficit.

Hedichroi) trochiſci ſunt quos in priore libro deſcripſit Galenus.

Seminis buniados) ideſt napi ſylueſtris.

Libanotidis) ideſt roris marini.

Calaminthæ montanæ) quoniam tres ſunt ſpecies eius prima eſt quæ montes amat.

Antidotus hecatontamigmatos, qua ego utor, quam compoſui Cæſari, ad omnia, ad uenena tamen peculiariter.

ABrotoni dra.unam.s.ariſtolochiæ drach. xx.acatiæ dra.iij.pulpæ baccarum iunipe ri tantundem, croci drac.ij. aſari drac.iiij. aniſi dra.ij.amomi dra.vi.agarici dra.ij.fructus bal= ſami, bdellij dra.iiij.obol.ij.balauſtij.dra.ij gen= tianæ dra.iiij.ſucci radicis dulcis tantundem, ſe= minis gongylidis dra.iiij.in alio exemplari drac. viii.terræ ſamiæ dra.unam ſeminis dauci dra. iiii.radicis drancontij drac.iii.obolos.iii. ſeminis eryſimi dra.xx.ireos illyricæ dra.ii.myrrhę dra. vii.obol.iii.zingiberis tantundem, radicis eringij dra.iiii.obol.ii.thlaſpis dra.xx.conizę tenuis dra. vi.obol.iii.cyperi drach.vi.ſeminis cicutæ cocti

In balſami fructu & bdellio iniuſta ſunt pondera apud Andernacum.

dra.unam obol.iii. ameos drac.iiii.seminis cnici dra.vii.obol.ij.costi dra.vii.obol.ii.cassiæ dra.v. obol.ii.succi centaurij dra.iiii. obolos.v. castorij drac.vi.calami aromatici drac.ii.alij imponunt dra.iiii.gũmi dra.ii.cardamomi drac.iiii.cachrys dra.iii.obol.iii.cyphis dra.vi.galbani dra.vi.obol. ij.foliorum libanotidis drac.iiii. elelisphaci tantundem, seminis lonchitidis dra.ii.obol.iii. seminis libanios dra.iii.thuris dra.vi.obol.iii. seminis marathri dra.vi.lachrimæ papaueris dra.vi.milti Lemnij dra.unã, malabathri dra.x. meu drac. vi.sanguinis anatis dra.vi.nardi Syriacæ dra.vi. obol.iii.nardi Celticæ dra.viii.xylobalsami dra. iii.opopanacis tantundem, seminis ormini drac. viii.orobi albi tantundem panacęę dra.vi. opobalsami dra.iii.pelecini dra.vi.polii.dra.v. obol. ii.foliorum polygoni dra.ix.radicis helenij drac. v.obol.iii.petroselini dra.vi.obol.ii. pentaphylli dra.viii.succi peucedani tantundem, piperis nigri dra.v.obol.iii.piperis albi dra.iii. obol.iii.piperis longi dra.unam, scinci dra.iii. terbinthinæ dra.ii.rosarum siccarum dra.vi. sagapeni drac. viii.stœchadis dra.iiii.nucleorum pineorum tor

Libanin noster codex habet, Andernaci libanũ, magna differentia & errore.

refactorum dra.vi.schœni dra.iiii.obol.ii.pulpæ uuarum passarum dra .iiii.seseleos drac.v.obol. ij.seminis staphilini dra.iiii. fellis taurini dra.v. fellis ursini tantundem, chamæpitys dra.iii.seminis psily dra.iiii.chamædryos tantutdem, sesami torrefacti dra.vi radicis symphyti dra.ii. uerticum scordii dra.unam obol.iiii.hærbæ pedicularis drac.v.stiracis drac.v.obol.ij.fructus trifolij dra.x.seminis tordili dra.ij.foliorum teucrii quidam dicunt esse chamædryn dra.unam, succi hypocystidis dra.ii.s.fructus hyperici dra.ii. seminis alterci dra.ii.rhei Pontici dra.ii. radicis cotyledonis dra.unam obol.iii. uini & mellis quantum opus est, ego uinum non adycio.

Hecatontamigmatos) .i.ex centum simplicibus cõstans

Seminis gongilidis) idest rapi.

Terræ samiæ) idest cretæ ex Samo insula.

Erysimi) latini erionem uocant Itali uulgariter dicunt erucat gentile, nostri erucam nobilem, mirum est cur apud Plinium inter fruges numeretur.

Conizæ) conizam latini cunilaginem uocant, Plinius cunilam alij uocant hærbam pulicarem, quoniam pulices necat tres sunt eius speties seu genera de quibus sufficientissime Dioscorides et, Plinius quia uero hic additur conizæ teunis intelligitur secunda eius speties,

Cachryos) cachryn græci uocarunt medici peculiari quo-

dam nomine ſemen roris marini, author eſt Dioſcorides, ca-
chrys etiam uocatur amentum ſeu pilula quæ adnaſcitur
quercui & alijs arboribus, ſed eius nulla hic mentio eſt, ſe-
men hic roris marini recipitur.
Lonchitidis) lonchitis ideſt lanceola alij uocant ueneream,
differt a xiphione ideſt pugione quoniam pugio in humidis
qui & enſis dicitur lonchitis in ſiccis naſcatur ſunt & aliæ
differentiæ de quibus Dioſcorides.
Cnici) ideſt carthami.
Libanios ſeminis) libanin romani uocant buglosſum autor
Miu) ideſt mei. (Dioſcorides.
Eleliſphaci) ideſt ſaluiæ.
Marathri) ideſt fœniculi.
Ormini) latini uocant geminalem alij ormea ſimilis marru
bio foliorum figura, cimino uero ſimilis eſt ſemine, uene-
rem multum excitat, aliud eſt orminon ſatiuũ: aliud ſylueſtre,
ſatiuum una cum ſeſama ſeritur.
Panacæ) hanc alii uocant panacem, alii panax tres ſunt
eius ſpeties, alius eſt panax Heraculeus, alius Aſclepius,
alius Chironis, ex heraculeo fluit opopanax, Meſue dixit flue
re opopanacem ex Aſclepio, ſed falſo, uidere eſt hanc hær-
bam in aliquot monaſterijs Venetiis.
Pelecini) ideſt hedyſari ſeu ſecuridacæ.
Radicis helenii) ideſt enulæ campanæ.
Seminis ſtaphilini) ideſt paſtinacæ, paſtinaca enim ſatiua a
græcis ſtaphilinos dicitur, paſtinaca agreſtis daucus apud il
los dicitur, eſt autem ut ait Galenus agreſtis ſtaphilinus potẽ
tior quàm ſatiuus, prouocat urinas menſesq; cum hærba tota
tum maxime ſemen & radix.
Symphyti) latini uocant ſoldaginem hærbarii noſtri nunc

uocant consolidam, Auicenna ſucutum, merito autem a nobilioribus in Italia medicis Auicenna reprehenditur quòd ſucutum nunc dicat eſſe ſemperuiuam, nunc mandragoræ ſemen, unde colligitur Auicennam ignoraſſe quid ſucutum ſit. Tres hærbarii noſtri oſtendunt nobis ſpeties conſolidæ, magnam, paruam, & minimam, omnes autem iſtæ tres in ſecunda ſpetie Dioſcoridis continentur, nam prima ſpeties Dioſcoridis petræum ſcilicet ſymphiton a noſtris non cognoſcitur quod ut ait Dioſcorides in petris naſcitur ſimilitudine origani.

Tordyli) Paulus Ægineta uocat gordylon eſt autem re uera ſeſeli Cretitū id quod & ipſe fatetur Dioſcorides.

Teucrii quidam dicunt hamædrim) uerba hæc addidit Galenus quoniam difficile eſt diſcernere chamedryn a teucrio tam enim proxime ad ſe ſimilitudine accedunt ut alterum non poſſit diſcerni ab altero.

Cotiledonis) hærba hæc ut ait Scribonius & ut nos ipſi ſenſu experimur, folia cymbalis habet ſimilia, naſcitur ferè ſemper in parietibus humidis, noſtri uocant umbilicum ueneris, alium nobis noſtri ſeplaſiarii aliquando commonſtrant loco ueri.

Antidotus Aelij galli ad multa alia utilis non ſolum ad morſus canis rabioſi.

NArdi ſyriacæ dra.iiii.myrrhæ drac.viii. cinamomi dra. xii.caſſiæ nigræ tantundem, croci drac.viii.coſti drac.iiii. ſeminis dauci tantundem, mei tantundem licet huius aliqui tantum unam drac.imponant, petroſelini drac.

iiii.piperis albi coccos.xxxx.fructus balsami dra. iiii.acori,asari tantundem, schœni drac.viii.hoc tamen alij non imponunt,mellis cocti quantum opus est,datur ad edendum.

Antidotus alia Aelij galli, ad interiores affectus multum efficax.

Galbani iniustum pondus est apud Andernacum.

Cinamomi dra.vi.croci dra.ii.obol.iii.piperis albi dra.iiii.obol.ii.piperis longi drac.iii. obol.iii. opij dra.iii.nardi dra.iiii.myrrhæ drac.iiii.obol. ij.acori dra.iii.nardi dra.iiii. styracis dra.unam obol.ii.galbani dra.iiii.castorij dra.iii.obol.ii.costi dra.ii.obol.ii.melli omnia admisce, datur in catapotijs,datur aliquibus in potu, est autem peptica & anodyna.

Catapotijs) nostri dicunt pilulas antiqui catapotia. Peptica) idest adiuuans ad coctionem,adiuuant autem ad concoctionem tum ea quæ qualitatem caloris mediocriter intendunt,tum ea quæ substantiam caloris augent, autor est Galenus cum alias tum in libello de constitutione artis & in epidemiis Hippocratis.

Anodyna) i dest dolorem sedans duo autem sunt genera anodynorum,alia enim sunt anodyna proprie quæ euacuant digerunt,rarefaciunt,extenuant,concoquunt,æquabile reddunt quicquid est in partibus dolore uexatis aut humorum acrium,aut lentorum,aut crassorum,aut multorum in tenuibus spiramentis infarctorum,aut etiam uaporosi & crassi

spiritus

ſpiritus incluſi, exitum non inuenientis. Natura huiuſmodi anodynorum eſt calida in primo ordine uel temperata. Alia anodyna ſunt quæ improprie anodyna uocantur, quæ membrum refrigerãt, ſenſum auferunt proptereaq; dolorem ſedare dicuntur, hæc noſtri opiata & narcotica uocant, antidotus quæ hic deſcribitur ad primum genus anodynorum pertinet non ad ſecundum.

Aromatica optima galli, omnibus affectibus utilis.

CInamomi unciam mediam, caſſiæ drach. unam, croci dra. s. amomi dra. v. malabathri dra. ij. myrrhæ drac. s. aliqui ponunt drach. unam, florum ſchœni dra. unã, coſti unciam mediam, piperis dra. iii. mellis Attici quantum opus eſt, ego impono cinamomi duplo plus & redditur melior.

Ambroſia hiera, Archibij utilis omnibus interioribus affectibus qua ego utor.

Aniſi dra. iiii. ſeminis apij tantundem, myrrhæ dra. unam panacis dra. unam, cinamomi drac. ii. ſeminis picroloti dra. ii. caſſiæ dra. ii. nardi dra. ij. croci dra. ii. obol. iii. piperis obol. iii. opij drac. iiii. mellis quantum ſufficit, fit potus pro dyſentericis, cum quarta portione cotilæ uini Myr-

tini & aqua, pro hepate autem cum coytla media mellicrati, pro ophtalmia & uigilia superabundante & pleuritide cum mellicrato, ad affectus autem stomachi cum uini rhoitis cyathis duobus & aquæ æquali quãtitate.

Picroloti) idest amaræ loti, loti tres sunt differentiæ alia est satiua alia syluestris, alia Ægyptiaca, amaram loton hic uocat Archibius illam quæ syluestris est, quæ trifolium minus a nostris dicitur cui etiam Dioscorides adtribuit saporem φαρμακώδη idest pharmacorum, quorum ferè omnium sapor amarus est, est alia lotos dulcis seu mellea quam latini & græci melilotum uocant alij uocant sertulam campanam Cato sertam campaniam, flos illi similis croco & odor, nostri mellilotum essè arbitrantur trifolium illud cõmune, quàm ineptissime.

Vini rhoitis) uinum rhoites illud est apud antiquos quod conficitur ex malis punicis idest mali granati acinis maturis, nostri uocant uinum granatorum, commendatur pro stomacho, & aluo cita.

Antidotus Antipatris theriaca, ad morsus aspidum, siue ante exhibeatur, siue post læsionem qua ego utor.

Hic error est in exemplari græco Andernaci.

GEntianæ dra.iiii. trifolij dra.iiii. & fructus eiusdem dra.ii. polii drac.iiii. aristolochiæ tenuis dra.ii. radicis peucedani tantundem, galbani dra.ii. petroselini dra.iiii. rutæ agrestis dra.

iii.pyrethri dra.unam hærbæ pedicularis tantundem, maceris dra.iii.radicis brioniæ drac.ii. piperis albi tantundem, acori dra.iii. ammoniaci thymiamatis dra unam obol.iii. phlomi Idææ, chamæpityos tantundem, chamælææ, prasii tenuis, conizæ tenuis, cymini Aethyopici, succi papaueris, castorij, seminis marathri, agarici, cassiæ ruffæ, floris schœni, rhei ana drach.ii. dauci Cretici dra.i.obol.iii. opopanacis tantundẽ sagapeni dra.ii.obol.iii.abrotoni dr.i.obol.iii.dictami tantundẽ, styracis tantundẽ, cinamomi drac.iii. nardi dra.iii.myrrhæ dra.iiii.thuris drac.unam, croci dra.viii.anisi dra.unam, succi Cyrenaici dra.unam, coaguli hinnuli dra.iii. mellis Attici quantum sufficit, hæc sumatur quantitate nucis auellanæ causa præseruandi.

Maceris) macerem nostri florem muschatum uocant. Phlomi Idææ) apud Dioscoridẽ & medicos ueteres omnes phlomos idæa est heleniũ idest enula campana, miror quòd Ruellius dum antidotum hanc ad Scribonii antidotos apponeret eo ordine medicinas has apposuerit, uerbasci, a iugæ, idææ, chamælææ, marrubii tenuis singulorum drac.ij. quasi uero idæa nomen sit cuiuspiam hærbæ proprium, & non adiectiuũ huius nominis phlomi, idẽ error est ĩ Andernaco. Ammoniaci thymiamatis) idest succi ammoniaci.

Marathri) idest fœniculi.

Theriaca Aelij Galli bona qua ego utor.

RAdicis bryoniæ dra.xvi.seminis trifolij, opopanacis ana dra.viii. aristolochiæ tenuis drach.xij.radicis libanotidis,ireos Illyricæ, zingiberis,opij ana dra. viij.seminis rutæ agrestis dra.xii. cymini Aethiopici drac.xvi.myrrhę cassiæ,castorij,seseleos,radicis eringij, serpylli, succi Cirenaici ana dra.vi.Medici drac.xii.sagapeni dra.vi.croci dra.v.farinæ orobi drac.xxiiij. misce cum aqua & finge trochiscos pondere obolo. ij.da cum uino.

Theriaca alia Aelij Calli, ualde efficax.

Hic diuersa est lectio apud Andernacum uicio exemplaris eius.

SEminis trifolij dra.xij.aristolochię drac.vi. hedichroi dra.viij.pentaphylli dra.iiij. echij hærbę dra.vi.philantropi dra.v. sagapeni drac. iiij.polij dra.vi.castorij dra.iii.croci drac.viii.seminis apij,anisi,fœniculi,petroselini ana drach. vi.opopanacis dra.iiii.opobalsami dra.vi.seseleos dra.iiij.cymini Aethiopici aut Thebęi drac. v.myrrhæ scordij,phu,meu,ana dra.vi.seminis alysi Cretici dra.vi.farinæ orobi dra.viij.affundatur uinum leue Ariusium fiantque trochisci

Hic Andernacus pro alysso anisum in eχte posuit.

ſinguli pondo obol.iiij.da unum cum uini Chij meri non diluti cotyla media.

Philantropi) noſtrum exemplar habet philantropi ideſt aparinæ, noſtris lappa dicitur cuius duæ ſunt ſpeties maior & minor quæ cauſa abſtergendi exſiccandiq́; antidotis imponitur.

Alyſi) alyſium alij uocant hærbam lilialem, Auicenna Alguaſen uſus eius eſt apud noſtros in emplaſtris.

Sagapeni) ideſt ſerapini.

Farinæ orobi) ideſt erui.

Theriaca ad dolores interiores Euclidis Palatiani, quam compoſuit Euclides, pro morſibus aſpidum, utilis hæc eſt & pleureticis, quartanas patientibus data magnitudine nucis auellanæ, tuſſientibus, difficiles ſputiones habẽtibus cum aqua, iis qui a beſtiis morſi ſunt cum uino, pleureticis & ſanguinem ſpuentibus cum aquæ cyatis.ij.& aceti cyatho uno.

CAſtorij dra.vi.opopanacis, ſagapeni, ſeſeleos, cachrys, chamædryos, chamępityos, praſii ana dra.xvi.ſtyracis, aſphalti Iudaici, myrrhæ ana dra.vii.opij.dra.viij. mellis lib.una, da ad bibendum cõmorſis cum fraxini copioſo ſucco, pręcedẽte uomitu ſi fieri poſſit, ſin minus cũ uino dra.unam eius Pharmaci aut plus, quarta-

nam uero patientibus magnitudinem nucis.

Cachrys) idest seminis roris marini.

Prasii) latini marubium dicunt.

Fraxini succo) exprimi debet succus ex folijs fraxini ut ait Dioscorides,

Magnitudinem nucis) nucem auellanam intelligit, nam alterius nucis aut nunquam aut quàm rarissime apud antiquos mentionem esse factam reperies.

Theriaca Zenonis Laodicei, ut Menucianus tradit.

CArdamomi bene purgati & exuti, serpylli, seminis apij, radicis brioniæ, seminis trifolij, anisi, petroselini, radicis & seminis marathri, ameos, mali terræ tenuis, farinæ orobi, opopanacis singulorum partes æquales, contunde singula singillatim, misce & uino excipe austero, fac tandem pastillos triobolarios, quando exsiccati in umbra fuerint, da ter de die, & semel de nocte cum duabus aquæ unciis ana trochiscum unum, aliquando crebrius exhibebis præsertim ijs qui continuo uomunt, aliquando per nares infunde, si aliter accipere æger non potest uel mēte captus, uel alio quopiam symptomate affectus, qui locum morsus tumidum habent & ra-

grum, qui habent diffluentem carnem ut est in cacoethis hulceribus eos eadem antidoto cura.

Mali terræ tenuis) idest aristolochiæ tenuis.
Cacoethis hulceribus) hulcera quæ cito ad consolidationem uenire non possunt quæ rebellia uenenataq; sunt cacoetha medici uocant.

Antidotus pro conuulsionibus, rupturis, hæmoptoicis, spleneticis, hepaticis, uesicæ doloribus, iliosis, stomachicis, cœliacis, asthmaticis, ictericis, bona est ad omnes affectus, datur cum œnomelite magnitudine olææ.

Cinamomi, costi ana dra.vi. nardi Syriacæ drac.xx. croci, myrrhæ, malabathri, ana dra.viii. cassiæ dra.xii. piperis albi dra.x. thuris dra.iiii schœni dra.xvi. iris Illyricæ dra.xij. terræ Lemniæ dra.xx. meu, seseleos ana drac.viij. seminis apij dra.iij. nucleorum pineorum drac. xij. crysimi dra.vi. seminis cucumeris torrefacti dra.vi. terebinthinæ dra.iij. petroselini dra.iiii. amomi dra.iii. scordij, polij, opobalsami, gentianæ, cymini Aetiopici ana dra.v. seminis rutæ agrestis dra.iii. anisi, tragacanthæ ana drac.viii. phu, stœchadis, cneori ana drac.ij. crysimum fac ut in linteolo inuolutum in aqua coquatur, quod

deinde exime aliisque leuigatis admisce, adijce deinceps tragacantham, aqua maceratam, utere antidoto, exhibens quantitatem eius fabæ Aegyptiæ cum duobus aquæ cyathis si æger febrit, aut œnomelitis si febre non laborat.

Tragacanthæ) ponitur hoc nomen apud ueteres medicos & pro radice, & pro succo qui radice incisa efluit, naturam habet similem gummi conglutinantem, datur propter scabritiem arteriæ, tusses, destillationes, renum dolores, uesicæ rosiones.

Cneori) quod alij thymæleam dicunt Serapion dicit mezereon, Theoprastus uocat cneoron frutex est qui profert coccum gnidium seu granum uocatum gnidium.

Antidotus Mithridatia ex sententia Xenocratis apud Nicostratū, aduersus letalia omnia, morsus omnes uenenatos, cruditates, flatus, utilis est stomachicis, cæliacis, hepaticis, spleneticis, ischiadicis, nephriticis, pleureticis, peripneumonicis.

SVcci hypocystidis dra.vi. scordij dra.v. castorij dra.iij. petroselini dra.v. seseleos dra. unam, thuris drac.vi. polij drac.ij. dauci Cretici dra.x. piperis albi dra. unam obol.ij. piperis longi dra. unam, costi dra.iiii. obol.iii. cinamomi dr. ij. croci

ij.croci dra.v.obo.iii.cassiæ nigræ dra.iiij.nardi dra.viij.myrrhæ dra.viii.schœni dra.iiii. amomi dra.ij.galbani dra.ii.terebinthinæ dra. unam o-boli.iii.succi papaueris dra.xx.mellis Attici quantum sufficit da & utere ut alijs.

Antidotus tyrannis uocata, Antipatris ut docuit Nilus utilis admodum ijs qui calculo laborãt, qui difficulter respirant, eijcit secundinas & fœtus, confert epilepticis, podagricis, arthreticis, ischiadicis, educit urinas multas grossas, datur ad bibendum magnitudine fabæ, cum œnomelite, etiam aduersus letalia uenena, cum uino uero ijs qui a bestiis uenenosis morsi sunt, epilepticis uero si febriunt datur cum hydromelite.

Hic corruptus erat Andernaci græcus codex.

SCinci drac.viij.myrrhæ drach.xxviij.milti Lemnij dra.iiij.nardi dra.viii. schœni dra. iiii.cinamomi dra.xxiiii.radicis dulcis dra.xxviij. myrrhæ dra.xx.eringij drac.xxiiij.amomi drac. xij.cardamomi dra.viij.croci dra.viii.baccarum cedri nigrarum dra.xii.meliloti dra.xii. seminis hyacinthi dra.iiii.piperis longi dra.iiii.piperis albi grana.lxxxv.sphondylij drach.xii. stœchados drac.v.pyrethri drac.vi.seminis maluæ agrestis

Andernacus falso posuit nonagintaquinque.

dra.xii.ſeminis leucoii dra.iii. opobalſami drac. vi.coſti drac.viii.obol.unum, ameos drac.xii.radicis cotyledonis dra.xiiii.ſeminis dauci drac.xii. carpobalſami dra.iiij.xylobalſami dra.iiij.caſſiæ dra.viij.cymini Aethiopici dra.iiij. ſeminis ocimi dra.viij.acori dra.viij. œnanthes dra.viij.ſeminis apij.dra.xij.ſagapeni drac.viij.radicis capparis dra.iiij.gentianæ dra.xiiij.radicis periclymemi dra.viij.thuris dra.viij.ſtyracis dra.unam cenchri agreſtis dr.xxiiii.radicis ſmyrnii drach. iiii.ſeminis ſiſari dra.viii.ammoniaci thimiamatis dra.xvi.ſeſeleos dra.iiii.cachrys dra.iiii.aliqui imponunt tantum dra.unam, Illyridis drach.iiii. aniſi dra.iiii.chamæpityos dra.xv. chamædryos tantundem, ſeminis ſmyrnii dra.viii. zingiberis dra.xiiii.centaurii tenuis dra.viii.ſeminis ſtaphilini dra.viii.meu dra.viii.radicis calami dra.iiii. unguenti boni cotylam unam, mellis Attici quantum opus eſt.

Falſo hic Andernacus ponit nardum pro iride illyrica.

Spondylion) ſphondylion ferulæ eſt ſpeties differens a panace quoniam minora ſunt eius folia habentq; platani diuiſurã, naſcatur in opacis locis, in paluſtribus Patauini agri ſæpe reperitur ſemen eius etiam ſphondylion dicitur.
Leucoium) quod græci leucoium Arabes dicunt keir ſiue

albeſed, latini dicunt uiolam albam ſeu uiolam matronalem.
Oenanthes) flos uitis ſyluestris ideſt labruſcæ oenanthe dicitur apud medicos ueque ſunt in uſu flores alterius uitiis niſi iſtius.

Periclymeni) nunc uocant caprifolium, alijs mater ſylua dicitur alij uocant uolucrum maius noſtris ferè omnibus ſeplaſiarijs notiſſimum.

Cenchri agreſtis) apud græcos cenchros dicitur milium quum autem nuſquam quod ego ſciam reperiatur aliud eſſe milium ſatiuum aliud ſyluestre quod ultro naſcatur, proinde ego ſatiuo uterer.

Smyrnij) ſmyrnion aliqui hipoſelinon ideſt oluſatrum eſſe exiſtimarunt ſed falſo quum Dioſcorides in alio capite deſcribat hipoſelinum ideſt oluſatrum in alio ſmyrnium, quin potius ſmyrnium teſte Galeno petroſelinũ ſylueſtre eſt, radix eius ſaporem habet piperis odorem myrrhæ.

Siſari) latini ſiſer dicunt radix eius dulcis, congener eſt re uera paſtinacæ, huius ſemen hic recipitur. Eſt apud. Plinium ſiſarum quiddam aliud nempe ericæ hærba rori marino ſimillima, ſed hic eius nulla mentio.

Illyridis) ideſt iris illyricæ.

Calami) ideſt arundinis, laudatiſſima autem eſt ea quæ dicitur phragmitis quæ eſt tenuis non admodum alta, candida, eius radicibus medici utuntur, eorum hic eſt mentio.

Quartanam patientibus, Harpali antidotus.

MYrrhæ drach. iiii. piperis longi aut albi dra. ii. meconii. drac. ii. caſtorii obol. iii. s. cardamomi dra. iiii. ſagapeni dra. ii. leuiga om-

nia cum aqua, finge pastillos singulos pōdo obol. ij. da ijs qui quartanas habent periodos cum uini Adriani aut Aminæi cyathis duobus & aquæ fontanæ coctæ cyathis. iiij. febrientibus da cum hydromelite, utilis est etiam ea antidotus & pro periodis alijs omnibus.

Hydromelite) erant aliqui qui hydromel & melicratum idē esse arbitrarentur, sed errant profecto, errorem ostēdit Plinius & Dioscorides libro quinto agens in alio capite de melicrato in alio de hydromelite quamuis aliqua exemplaria ex duobus capitibus ijs, unum faciant, re uera enim hydromel est secundum genus aquæ mulsæ seu melicrati constās ex duabus partibus aquæ pluuialis inueteratæ diu seruatæ & una parte mellis, decoquitur usque ad tertias, aliqui pro aqua pluuiali inueterata aquam fontanā decoquunt usque ad quartas deinde mel admiscent, existimauit Marcellus nominis tantum & non rei differentiam habere hæc duo melicratum scilicet & hydromel sed danda est uenia homini magis poetarum & oratorum quàm rei medicæ studioso, poterat enim si non ex alio saltem ex Columella didicisse hydromel austeram esse aquam mulsam, melicratum uero minime, inter austerum autem & dulce tanta est differentia quanta inter medicinam stringentem & laxantem.

QVum autem Asclepiades & Damocrates ijs antidotis quas hucusque exposuimus adiūxerint etiam has quæ faciunt multū ad morsus & puncturas animalium uirulentorum, uisum est quos

que mihi easdem in hoc libro prędictis annecte-re, in primis uero eas quæ sunt Asclepiadis.

Asclepiadis ex libro.v.eius uoluminis quod adscripsit Nasoni ubi agitur de antidotis aduersus nocumenta uirulentorum animalium, potio prophylactica contra morsus canis rabiosi ualde efficax.

Lycij Indici quàm optimi oboli.ij.da cum aqua, admixta hęrba sacra modica, da pluribus diebus da & sine aqua, imposito lycio in ouum sorbile.

Lyci Indici) lycium spinæ est speties quam pixacantham idest buxeam spinam uocant, succus huius autore Galeno etiam lycium uocatur, medicina apud antiquos omnes medicos græcos & latinos usitatissima, nostro tempore omnino ad nos non defertur in causa est quoniam Capadotiã, Lyciam, & Indiam ex quibus regionibus olim adportabatur nunc barbari possideant & Christianis inaccessas faciant. Pro lycio utebantur antiqui (nam & illo tempore non semper eius poterat haberi copia) succo qui fiebat ex coctis foliis rhoos idest simach ad mellis spissitudinem redactus ut ait Dioscorides, utebatur Democrates pro lycio, succo bretanicæ, utebantur alij succo decoctionis radicum syluestris rhamni idest spinæ albæ siue ceruinæ cuius color est albior quàm ruborum, uirgæ eius rectæ aculei recti non adunci. Hærba sacra) de hac superius diximus.

Alia.

Castori dra. unam, rosacei albi cyathum da ad bibendum alternis diebus, quòd si liquoris in quo absinthium recens fuerit decoctum una cũ adiecto sale, tantundem admiscueris erit multo efficatius remedium.

Rosacei albi) quod græci rhodinon uocant nos rosaceum uocamus fit ex oleo & rosis eo modo maceratis quem nos docuerunt antiqui. Animaduerte autem hoc loco quòd non abs re hic dicatur rosacei albi nam optimi quique medici non ex ruffo hoc uulgariq; oleo conficiebant rosaceum ex quo nostri pharmacopolæ conficiunt sed ex syncæro puroque, modus autem efficiendi oleum purum & syncærum is est apud Galenum. Primum ante omnia uasculum lati oris plenum oleo sub feruenti sole deponatur aut si solis calor tantus non sit, uasculo oleum continente calidi cineres subijciantur ut solarem quam maxime fieri potest calorem imitentur maior enim calor uitandus est quoniam ipsum oleum qualitate alterat atque a temperatura abducat, faciendum est itaque ut aut solis aut cinerum caliditate excrementum olei tenue quod adnatum intermixtumq; est concoquatur absumaturque, postea uero lauandum est oleum, primum enim modice concalefactum mox in uas lati oris ac magnum cui insit aquæ copia purissimæ effusum tunditur uerberaturque ut unaqnæque eius particula aquam possit contingere atque ab illa ablui, deinde effusa priore aqua rursus oleum excalefaciens in aliam aquam syncæram inijcies rursumq; contundes donec qualitatem suam, colorem suum in aquam deponat, faciendum id erit tertio & quarto, donec aqua nullam

ex abluto oleo qualitatem recipiat. Caue tamen ne ita uerberes quatiasq; oleum ut dissipatum in aquam ægre postea separari colligiq; possit, ita uerberato commoueto q; ut ubi quiescere paulisper sineris facile possit innatans detrahi, hæc est ratio hic modus apud Galenum efficiendi oleum syncærum purumq;, tale uero erit album ex quo conficiendum est rosaceum alioqui nisi hoc facias rosaceum non erit uere rosaceum idest non erit in primo ordine refrigerantium, excrementitiæ enim in illo partes multum alterant temperaturam olei, natura rosacei albi est exustos refrigerare & phlegmone obsessos idq; caliditatis sue tepore (sic.n. & aqua tepida feruentem refrigerat) algentes uero paululum calefacere. Est & alius modus apud Dioscoridem efficiendi oleum symærum & candidum.

Antonij Coi.

ALysum hærbam contunde cribro secerne, asserua, eius dum usus ueniet da ijs qui a cane rabido morsi sunt cochliarium cum tribus aque & hydromelitis cyathis primo die statim, bonum equidem est hoc remedium, si quis usum eius ad quadragesimum usque diem producat, aut saltem ad primos dies. vij. Alysus autem hærba est similis prasio hirtos tamen magis & spinosiores habet orbiculos, florem ædit coloris cærulei, colligenda hæc est diebus æstuosissimis canicularibus, exsiccanda deinde & cotundenda, ac usui seruanda ita ut ne perfletur.

Aliud remedium.

Cineris cancrorum fluuialium in sarmentis uitis albæ ustorum & contritorum mystrum unum, radicis gentiane mystra.ij.da statim ijs qui morsi sunt cum uini meri antiqui plus minus cyathis.iij.oportet autem metiri ætatem & robur uirtutis ægrorum, da cõtinuos dies sex, statim a morsione canis, si uero quis negligentior fuerit ita ut unum diem a morsione præter miserit duplum Pharmaci accipiat, non immutata uini quãtitate satis enim illius est, si duos dies prætermiserit die tertio triplum accipiat, postea uero singulis diebus usque ad sextam bibat tantum Pharmaci quantum prima die si curam sui habuisset erat bibiturus, maximi iuuamenti hoc Pharmacum est, probibet hydrophobiam.

Non hic de tegmine cancrorum loquitur Asclepiades ut putauit Andernacus.

Hic corruptus erat Andernaci græcus codex.

Prohibet hydrophobiam) qui a cane rabido morsi sunt nisi sibi prouideant incidunt in affectum mirabilem ita ut expauescant rem omnem humidam, potum omnem, liquorem omnem, huiusmodi timor hidrophobia dicitur. malum signũ est & letale ut plurimum.

Cratippi uiri insignis canum altoris.

Cancrorum dra.xx.myrrhæ dra.ij. croci drac. unam.s.gentianæ dra.unã, piperis albi coccos.x.

uini

uini quantum ſufficit, doſis eſt dra. una cum ui-
ni diluti cyathis. ij.

Cancrorum fluuialium) ſunt nonnulli etiam noſtro tem pore qui arbitrantur cancros fluuiales propterea debere reci pi, quoniam cancri marini ſicciores temperamenti ſunt nec ita reſiſtunt affectibus ſiccis, ſiccus uero affectus illorum eſt qui a cane rabido demorſi ſunt, at ij inepte ſentiunt & lo- quuntur, proprietate enim totius ſubſtantiæ dicit Galenus proſunt cancri fluuiales uſti, non facultate temperamenti. Teſtatur Galenus nullum unquam mortuum fuiſſe a cane rabido morſum qui uſus erat remedio hoc. Vrēdi uero erunt cancri poſt ortum canis, quando ſol in leonem tranſiit die de cimo octauo a nata luna, urendi ſunt in patella ærea dum adhuc uiui ſunt, puluis deinde ſeruandus. Vtebatur Galenus alia quoque compoſitione, accipiebat thuris partem unam, gentianæ partes duas, cancrorum fluuialium partes decem dabat diebus quadraginta pondere drachmæ unius cum a- qua, quòd ſi non cito curam demorſi acceperat dabat drach- mas duas more Aeſchrionis conciuis & præceptoris ſui.

Alia qua uſus eſt Heras Cappadocenſis.

Scordij. dra. ii. piperis albi drac. ij. s. opij. drac. ij. ſucci Cyrenaici drac. ij. s. cachrys drac. iiii. milti Lemnij, gentianę, ſeminis rutę agreſtis ana dra. v. myrrhæ drac. vii. opobalſami dra. viij. confice cum uino, melle deinde cocto excipe ultimo ap- pones opobalſamum, da iis qui ualidioris uirtu- tis ſunt duplo plus magnitudine fabæ Aegyptię

aquæ calidæ cyathos tres.

Succi Cyrenaici) idest assæ Cyrenaicæ.

Cachrys) diximus superius cachryn esse semen roris marini.

Duplo plus faba Ægyptia) idest drachmas duas.

Alia Gaij quam Belchionius se a Cæsare acce pisse aiebat.

POlij, succi Cyrenaici ana drach.ij.s.ca-chrys, seminis rutæ agrestis ana drac.iiij. gentianæ, milti Lemnij ana dra.v. myrrhæ dra. vi.aut.vij.opobalsami drach.viij.scordij piperis ana drach.xij.melle omnia excipe.

Zenonis Laodicensis, morsis a cane abido, est autem & theriaca bona.

SEminis petroselini, ameos, anisi, serpylli, ra dicis brioniæ, seminis marathri, farinę oro bi, aristolochiæ longæ, seminis trifolij, opopana cis, medullæ cardamomi absque siliquis ana dra. iiij. Modus conficiendi is est, opopanacē uino ma cera disolue & in promptu habe, alia autem quę sicca sunt contunde & subtili cribro discerne, admixto tandem opopanace fac trochiscos quos in umbra exsicca, da illorũ drac.unam cum uini meri cyathis tribus, ijs qui a rabioso cane morsi

Hic falsus est Anderna-cus.

ſunt, ijs autem qui iam decumbunt da cum aqua frigida, Pharmacum hoc refertur ad Dioniſium Mileſium.

Claudij Apollonij remediũ factum pro iis qui a cane rabioſo morſi ſunt, eſt & theriaca.

SEminis trifolij, radicis fœniculi ana drac. vi. foliorum ſiccorum ſquillæ, ariſtolochię longæ ana dra. v. ſcinci, ramuſculorum ſerpilli ana dra. iiij. cardamomi purgati, glycyriſſæ ana dra. iij. ameos, radicis rutæ ana drach. ii. opopanacis, ſucci Cyrenaici ana dra. unam, uini Phalerni xeſtas. iii. cancrorum marinorum uſtorum libras. iii. quas permitte in uino manere uſquequo ſatis in ſe uini imbiberint, leuiga deinde & in promptu habe, reliqua uero quæ ſicca ſunt contunde & cribro diſcerne, cancris admiſce, trochiſos finge, da ex iis obol. ij. cum cyatho uno. s. uini meri, tres dies continuos.

Sufficiant hęc hucuſque, adiungenda nobis ſunt remedia compoſita extra applicanda.

Menippi, pro morſis a cane rabioſo quo uſus eſt Pelops.

Picis bruttiæ libram unam, opopanacis dra. iiij.

aceti xestem unum, disolue opopanacem in cyathis aceti.iiij.in liquore qui superest picem coquito, quãdo totus liquor absumptus fuerit, opopanacem adijce, sed uide ne ebulliant, dum satis coxeris, fac splenia magna, quæ loco affecto adpone, seruandum hulcus illatum a cane rabido est usque ad diem quadragesimum.

Picis bruttiæ) usus picis apud medicos est & in antidoto intro in corpus assumenda, dabant enim antiqui multoties picem cum melle bibendam, & in emplastris extra apponendo, de quibus hoc loco agitur, laudabatur olim bruttia pix.i. a bruttiis qui locus est ad Mamertium oppidum ferax nemore ut ait Strabo, pix quæ nostro tempore a septentrionalibus adfertur prouincijs bonitate ut opinor non cederet bruttiæ Splenia) inter splenium & emplastrum differentia non est nisi figuræ, emplastrum enim in longitudinẽ magis quàm latitudinem extẽsum splenium dicitur, nam splenis huiusmodi figura est, qua ratione & poetis latinis aliquando spleniata frons dicitur, Martialis, splenia tolle leges &c.

Seruandun hulcus) nos ita παραφυλάκτειν uertimus idest custodiendum curæq; habendum est usque ad diem quadragesimum.

Menelai ad morsus canis rabidi, ad ægilopas ad omnem cuiusuis serpentis ictum.

NItri rubei dra.ii.fecis uini ustæ drac.vij. ammoniaci thymiamatis drac.vij.adipis

caprillæ libram unam, olei lib.i.s.cæræ lib.ij.aquæ xestem unum, tere ammoniacum cum aqua ad satis iustam spissitudinem, reliquum aquæ nitro & feci uini adijce, commisce, coque, quando iam spissa effeceris, affunde ea quæ liquida sunt, ubi iam dissoluta bene fuerint, aufer ab igne, ammoniacum inijce transfer in mortarium, subigito diligenter, confecto diligenter remedio deinceps utere.

Ægylopas) in angulo oculi qui ad nares est, tumidus abscessus seu apostema suppuratum disruptumq; ac fistulæ modo distillans ægylops dicitur, antequam autem, disrumpatur exhulcereturq́; anchylopa uocant medici.

Nitri rubei) nitrum laudatur quod roseum colorem habeat aut album leueq; fit fistulosum, instar spongiarum.

Alba antidotus Baphulli ad morsus canum rabiosorũ, extra applicanda, dantur ex ea & catapotia magnitudine nucis auellanæ quę assumuntur usque ad diem quadragesimum, & maxime si ægri plurimum afficiantur affliganturque, hac enim antidoto soluitur omne periculum. Apponitur uulneri, nec nisi alternis diebus solutio fit, alternis diebus soluere oportet & abstergere, nigram atramque ab hulcere saniem, idque

faciendum est donec medicamentum album appareat, compositio eius ita habet.

CAerae Ponticae libr. ij. litargirij, cerusae ana libram unam, olei ueteris xestem unum, myrrhae, medullae ceruinae ana dra. ii. thuris drac. i. incoquito lithargyrum oleo, quando iam immutatio in ipso facta fuerit, adyce cerusam, & ceram, ac ubi spissa iam effecta fuerint, ut manum non inquinẽt, aufer ab igne, adpone medullam, aspergito myrrham & thus, commisce, confice & utere molli.

In alijs descriptionibus sic habet, cerae lib. ij. cerusae, lithargyri ana libr. unam, olei ueteris xestem unum, myrrhae, thuris, medullae ceruinae ana dra. unam, olei ueteris cotylam unam.

In alijs sic habet cerę Ponticae lib. unam cerusę, lithargyri ana dra. iii. thuris, myrrhae, medullae ceruinae ana unciae. s. dra. i. olei ueteris dra. iiii.

Lithargyri) graeci lithargyrũ latini spumã argenti uocant cuius tres speties sunt, alia enim est quam uocant auream flaua nitensq́;, alia argentea quae ex Sicilia plurima adportatur, tertia est molibditis & est ipsius plumbi, omnis autem spuma fit ex cocta sua materia ex superiore catino defluens in inferiorem, prima quae dicatur aurea fit ex ipsa ue

na argenti & est omnium optima, nostri nomine illusi credunt hác esse ex auro quoniam a colore dicitur aurea, uocant que lithargyrum auri.

Basilica facta ad morsus canis rabiosi, qua prohibetur ut ne æger incidat in hydrophobiam, hanc semper apud se habuit Augusta.

SAlis ammonici, lachrymę Cyrenaicæ ana drac.ii. quòd si non habueris Cyrenaicam, Syriacæ duplum imponito, coaguli leporis dra. iiij. ireos Illyricę, castorei Pontici ana dra.v. succi bene compacti & aridi ficuum domesticarum immaturarum, si is non adfuerit, succi liquidi duplum, adipis hyænæ dra.viii. resinæ terebinthinæ dra.ix. canis nigri, hyęnæ dra.xi. cæræ Ponticæ dr.xxxvi. olei ueteris cyathos duos, aceti squillitici cyathos.iiij. arida tere cum aceto, liquida cõfunde, quæ si aridis tritis admiscueris utile feceris remedium.

Hic immutata apud Andernacum sunt nonnulla.

Adipis hyænæ) hyæna nomẽ piscis est & aĩalis quadrupedis, hic quadrupedis mẽtio est. Credidit Marcellus portẽtosum hoc esse fabulosumq; animal, est.n. adeo inuẽtu difficile, sic doloso ingenio, tam maleficis uiribus a scriptoribus ueteribus descriptum, ut alieni & non huius nostri orbis animal esse existimandum sit, legimus tamen apud ipsum Scribonium, magna cura ab ipsomet Scribonio fuisse inuentũ, cuius

non ſolum adipem ſed etiam pellem ſeruabat quæ alligata ijs qui a cane rabido eſſent demorſi plurimum prodeſſe dicitur, fatetur Scribonius & Zopyrum gordienſem medicum remedio ex hyæna ſæpius fuiſſe uſum.

Ii qui a ſcorpionibus icti ſunt, utantur infraſcriptis compoſitionibus, quibus etiam Diophantus uſus eſt in phalangiorum ictibus.

ARiſtolochię dra. iiii. piperis dra. duas, opii dra unam, pyrethri dra. iiii. fac trochiſcos magnitudine fabę Aegyptię, da duos cum uini meri cyathis duobus.

Phalangiorum ictibus) araneorum prima duo genera ſunt quidam enim uenenati ſunt & hos phalangia uocant, quidam innoxii ſunt muſcas rapiunt & enecant, telas contexunt, phalangiorum rurſus multæ ſunt ſpeties apud Plinium, Theophraſtum & Ariſtotelem, qua Itali tarantulas uocant ſpeties eſt notiſſima omnium.

Aliud ad ſcorpiones & ferocia animalia omnia.

ARiſtolochiæ, zingiberis ana dra. viii. calaminthæ, ſeminis rutæ ſyluaticæ ana obo. tres, piperis obol. ii. commiſce cum ſanguine teſtudinis, fac trochiſcos ſingulos ponderis obol. trium, da cum uino mero.

Aliud.

Cymini Aethiopici, ſulphuris uiui, pipis albi ana dra. ij.

dra.ii.castorei, silphii, trifolii ana dra.unam, uino commisce, da cum uino mero.

Iis qui periculosissimos scorpionum aut phalangiorum aut cuiuspiam uenenati serpentis ictus ceperunt.

SEminis rutæ syluaticæ, seminis erucæ, pyrethri, styracis, sulphuris uiui ana dra.vi. castorei drac.ij.admisce sanguini testudinis fac trochiscos da pondere obol.iij. cum uini meri, aut aceti cotyla media.

Sulphuris uiui) sulphur uiuum solidum est, globosum, perlucens & uirens, ex cocto sulphure optimum est uiride pinguissimum, huius tantum sulphuris usus apud medicos est, quod fossile est. Sunt enim alia eius genera tria sed liquida non fossilia, quæ oleo incocta perficiuntur desanturq;, ad suffiendas lanas, ad facienda elichnia apta non ad antidotos, nomina eorum generum sunt, babon, egula, cauton, quorum Dioscorides non meminit quoniam sciuit medicinis esse ineptissima.

Silphij) planta ex qua prouenit lasser seu assa silphium dicitur, succus hærbæ etiam nomen interdum habet.

Anodynon Pharmacũ factum pro ictibus scorpionum, phalangiorum, & serpentum omnium, utilis est & mulieribus difficulter parientibus, inscribitur illi nomen Callista.

MYrrhæ, castorei, styracis ana dra. unam, opij drac. ij. galbani drac. iij. seminis opij oxybaphum, anisi tantundẽ, piperis coccos. xxx. confice trochiscos cum uino, da dra. unam cum uini cotyla una, hoc Pharmacũ ualde bonum est.

Abascanti qui medicabatur Lugduni.

Hic falsa sunt apud Andernacum pondera.

PIperis albi coccos. xx. castorei, opij, croci, myrrhæ, ireos Illyricæ, hærbæ pediculaxis, chamædrys, radicis brioniæ, pyrethri, singulorum partes ęquales, commisce cum uino, confice pastillos da dra. unam cum tribus uini meri cyathis.

Antidotus aduersus scorpiones infallibilis, quã magno studio impetrauimus a quodam qui in Libya habitabat, qui ea semper usus est aufert omne periculum ab ijs qui a scorpionibus morsi sunt, est prophylactica bona, bibitur & ab iis qui nondum icti sunt, securitatis gratia.

Sulphuris uiui, sulphuris fossilis ana lib. ij. piperis albi dra. iiij. opopanacis, borathi, thuris masculi ana dra. iij. aristolochiæ rotundæ, peucedani, myrrhæ, centaurei, serpylli, chamædrys, chamæpitys, scorpiacæ hærbæ, anagallidis, asphalti

ana dra.ij.scriptum est in descriptione huius antidoti, lingua romana herbacei cestri dra.ij.idest betonicæ, medullæ ceruinæ, carnis crocodili terrestris, aut scinci dicti ana dra.unam, singula teruntur, cribrantur, miscentur, aßeruatur antidotus ita ut ne perfletur, dum uti ea uolueris da ægrotis cochlearium & uini meri cyathos.ij.causa autem præseruationis bibatur semel in anno, ut sine periculo uersetur quispiam in suis negocis, oportet autē ea die qua assumitur hoc Pharmacum abstinere a balneo & coitu.

Callista) idest optima, ipsum nomen antidoti optimum quiddam policætur.

Sulphuris uiui, sulphuris fossilis) primum genus sulphuris ut superius diximus aptum antidotis est, duplex nero est alterum uiuum alterum igne confectum utrunque tamen fossile, utriusque hoc loco mentio st, fossilis cocti & fossilis uiui nam reliqua genera tria fossilia non sunt ut diximus.
Borathi) borathum græce latine sauina, dicunt græci & brathy, latini alterum etiam nomen faciunt sabinam enim uocant, data opera hoc nomen græcum licet latinis inusitatum hic reposuimus, quoniam in græco exemplari hic mendum est legitur enim βρυθάου pro βράθου, Aldinum exemplar habert βράθου.
Scorpiacæ hærbæ) multa sunt apud medicos genera hærbarum quæ scorpiacæ uocantur, hoc loco mihi uidetur men-

tio fieri (nisi quis malit de scorpioide hic sermonē fieri quam hærbā ego nunquam uidi) heliotropij, quam hærbam romani solarem uocant, uulgus dicit solsequium, hoc duplici de causa scorpiaca hærba dicitur, partim quoniam eius hærbæ semen spetiem & imaginem refert caudæ scorpionis, partim quia uenenis scorpionum pota plurimum resistit indeq; scorpionocton ab alijs est appellata, ab alijs item scorpiuron, duo sunt solaris hærbæ genera nostris notissima maius scilicet & minus solsequium.

Antidotus Zoili qua usus est Carchedonius Aphrodisiensis sedat statim dolorē, est & bene prophylactica, sumpta semel in anno.

Sulphuris uiui libr. iij. thuris libr. unam, sauinæ, stœchadis, mali terræ ana dra. vi. myrrhæ drac. v. medullæ ceruinæ opopanacis ana drac. iiij dictami Cretici dra. ij. asphalti, serpylli, scordij, rhei, trifolij centaurei, chamædryos, piperis albi, abrotoni, cestri, polij, coaguli hœdini, anagallidis ana dra. ij. crocodili terrestris dra. x. confice eo modo quo alias, da iam affectis cochlearium cum uini meri cyatho, facit & ad præseruationem accepta semel in anno.

Epithema ad ictus scorpionis.

Folia lauri coque, tere, & appone, aut radices lilij terito aceto & apponito.

Aliud.

Malum terræ, ramusculos rutæ, nitrum æqua portione simul coque in uino, terito & apponito

Aliud.

Cancrorum fluuialium, cachrys, herbæ pedicularis, rutę partes æquales.

Aliud.

Chamæmeli, git, nitri rubei partes æquales terito cum aceto & apponito.

Chamæmeli) quam uulgus uocat camomillam Dioscoridi est chamomelum & anthemis, duo hæc sunt unius herbæ usitata uocabula.

Git) græci dicunt melanthium nostri git seu nigellam, quæ in segetibus passim nascitur pseudomelanthium uocari potest & gitago, uerum enim git folium habet fœniculi florẽ cœruleum odorem seminis iucundum nec ubique prouenit.

Arabæ Thebani Pharmacum factum ad ictus scorpij.

GAlbani, terebinthinæ, ana drac.ij. herbæ pedicularis, pyrethri, sulphuris uiui ana dra. unam, myrrhæ, piperis ana drac.i.s. picis liquidę quod satis est.

Ad ictus phalangiorũ Charitonis Ochlagogi.

SPondylij fructus, calaminthæ partes æquales, terito simul da dra. unam cum uini cya

this.ij.sæpius eodem die, Circumibat Criton cū hac antidoto comitia ut usu eius opem ferret commorsis.

Aliud Simmiæ Medi.

LAchrymæ Cyrenaicæ, dauci Cretici, hedyosmi, nardi Indicæ, singulorum partes æquales, subige aceto, da drac. unam cum aceti cyathis .iiij. atque hunc qui biberit in aquam calidam immitte.

Andreæ ad ictus phalangij.

HAerbæ pedicularis, pyrethri, myrrhæ, opij, bryoniæ, galbani singulorum partes æquales, subige uino odorato, da dra. unam cum passi cotyla una.

Aliud ualde efficax

CAchrys, seminis rutæ syluaticæ, piperis albi, hærbę pedicularis, myrrhæ singulorum dra. unam, cyperi radicis dra. ij. cōmisce uini odorati cyathis quattuor, & mellis cyatho. i.

Hedyosmi) menta alia odorata est inquit Galenus uocaturq; hedyosmos satiuam alij mentā uocant, alia non odorata est quæ calamintha dicitur.

Hærbæ pedicularis) staphyn agriam, siue corrupto uocabulo staphysagriam uocant.

Passi) idest sapæ de cuius confectione prius dictum est. Cyperi) cyperus & cyperum iuncus est uocatus odoratus triangularis siue quadratus ut Cornelius Celsus loquitur, dicitur quadratus siue angularis ad differentiam iunci rotundi quem græci schœnon uocant, Cypirus uero palustris planta est gladiolus a nostris dicitur siue xiphion alij pugionem uocant. Cypiris autem radix est iunci odorati siue quadrati, non decipiant te igitur tria hæc similia apud medicos nomina cyperus, cypirus, & cypiris.

Ac phalangiorum ictus & scorpionum, & morsus serpentum omniũ quo usus est Diophantus.

Castorei, piperis albi, myrrhæ, opij singulorum partes æquales, disolue uino, fac trochiscos, da pondere obol.iij. cum uini meri cyathis.iij. sicut dabat Diophantus.

Aliud.

Corticis mandragoræ piperis albi, castorei, opij singulorum partes æquales, conficito ita ut prius diximus, & utere.

Alia Appollodori, quam Tarentinus in libro ad Astydamantem scribit plurimum ualere ad omnem omnium uenenatorũ animalium ictũ, ad dolores intensissimos & præfocationes uuluæ, succi cicutæ, hyoscyami ana drac.iiij. castorei, pipis albi, costi, myrrhæ, opij ana drach. unã

hæc leuiga adiectis pasti cyathis.ii.tere ad solem donec densentur, finge deinde trochiscos magnitudine fabæ grecæ, da cum uini cyathis.ij.

Alia Heraclidis Tarentini ad phalangiorum & cuiusuis serpentis ictus, adiuuat pota & extra applicata.

CAchrys, seminis rutæ syluaticæ, piperis albi, myrrhæ, croci, cocci gnidij, costi pyrethri, herbe pedicularis singulorũ partes equales, cyperi duplum, disolue aceto, melle collige, appone.

Aliud ad phalangia & omnem uenenati serpentis ictum.

Hærbe pedicularis, pyrethri, myrrhæ, succi Libyci, ana dra.iij. radicis brioniæ, galbani tantundem, aceto disolue, melle collige & appone, hoc idem epotum plurimum iuuamentum præstat.

Epithema ad ictus phalangiorum & serpentum omnium, hoc idem epotum utile est, eo Simmias Ochlagogus usus est.

Sulphuris uiui, galbani, ana dra.iij. succi Libyci, nucum auellanarum purgatarum ana drac.ij. uino disolue, melle collige, appone.

Alia.

Alia.

Seminis rutæ ſyluaticæ, hærbæ pedicularis, ſeminis erucæ, cachrys, fructus agni, globulorum cupreſſi ana oxybaphum, aceto diſolue melle collige, appone, hæc eadem ſi bibatur plurimum prodeſt.

Succi Lybici) ideſt lachrymæ Cyrenaicæ ſiue laſſeris Cyrenaici nam & Lybia tota Cyrenea olim dicebatur. Fructus agni) ideſt ſeminis uiticis, uocatur planta hæc agnus caſtus a græcis & a latinis quoniam caſtitatem pota ſubſtrataq; ut ait Galenus mirum in modum defendit. Apud antiquos homines mulieres in ſacris Cereris, folijs uiticis cubitus ſibi ſternebant, diſcutit inflationes, ſoluit ſtimulos ueneris ſuo calore, in abundantia ſeminis & in nocturnis ueneris imaginationibus, ac ſeminis incontinentia non parum multis contulit ui facultateq; ſua.

Globulorum cupreſſi) alij uocant orbiculos alij conos, alij pilulas cupreſſi, alii galbulos, alij nuces cupreſſi, notiſſimæ ſunt omnibus, habent in ſe exigua ſemina dehiſcentibus nucibus euolãtia magis quàm decidentia.

De ijs hucuſque dixiſſe ſufficiat ij uero qui a uiperis morſi ſunt, utantur infraſcriptis remediis.

Dorothei Heliæ ad uiperę morſus.

EA ſunt uerba Dorothei, uſus ſum potionibus ſimplicibus, aceti ſcilicet cotyla media calidi, ariſtolochiæ dra.ij. corticis ſcilicet eius in

uini aut aceti cotyla media, Item ſeminis trifolij obo.ij. cum uini cyatho medio, & panacis Chironij dra.ij. in aceto, & coaguli hinnuli dra. una in uino, & ſanguinis teſtudinis marinæ extracti drach.ij. in aceto, ex compoſitis autem hæc eſt antidotus Appollodori, laudata a Soſtrato & omnibus qui eam ab Appollodoro acceptam in uſu habebant, ex ſanguine teſtudinis conſtat.

Seminis cymini ſyluatici oxybaphum, ſanguinis teſtudinis aridi dra.iiij. in alio exemplari ſtateras.ij. coaguli hinnuli, aut ſi deeſt leporis drac. iij. ſanguinis hœdini dra.iiij. miſce omnia, & uino optimo collige, & aſſerua, ea dum uti uoles accipe magnitudinem olææ tere & cum uini optimi cyatho medio ad bibendum da, quòd ſi euomuerit Pharmacum da ſecundo magnitudinem olææ mediæ, ac tertio ſi reiecerit uomitu da eodem modo fabæ Aegyptiæ magnitudinem.

Hic iniuſta ſunt pondera apud Andernacum.

Ruſtici morſi a uipera remedium.

TRifolij, ſtachys, erui ſub ſole ſiccati, ſeminis rutæ agreſtis, ariſtolochię rotũdę ana dra.vij. uino diſolue, finge trochiſcos, da drach. unam cum uini cyathis tribus bis & ter in die.

Falſo hic Andernacus ſpicam poſuit.

Stachys) latini & græci idem hoc nomen habent hærbæ foliis & colore marrubii seu prassii simillimæ, non enim porri habet folia ut aliqui existimarunt, uidere illam est Venetiis apud cœnobia quædam, raro alioqui reperitur, hanc nostri seplasiarii & nauiculam & coronatam uocant, significat etiam apud græcos stachys spicam, inde multis erroris occasio superuenit, ut aliquando stachyn exponerent spicam sed debebant hoc animaduertisse quòd quãdo spicam uolunt dicere græci semper addunt ad stachyn nardi aut Celticam aut Indicam quando uero uolunt dicere nauiculam hanc nostram hærbam, nihil adiungunt dicunt simpliciter stachys.

Antidotus alia quæ apud Eudemum inscribitur theriaca Antiochi Philometoris, cuius principium tale est.

MEdicinam disce aduersus serpentum uenena, quam Philometor probauit sua experientia, agnouitque esse optimam, modus conficiendi is est, radicis mei dra. ij. cum ramusculorum serpylli æquali pondere, succi panacis dra. ij. seminis trifolij drac. una, anisi, marathri, ameos, seminis apij oxybaphum unum, farinæ erui oxybapha duo, uino Chio omnia inspergito, orbiculos facito singulos pondo dra. mediæ, da cum uino dra. mediam, propelles atrum uiperæ uenenum, eodem potu succurres ijs quibus

Hic Andernacus, nescio qua audatia, uenenum parat hominibus pro medicina.

aculeo suo phalangia aut scorpij sæuos intulerunt dolores.

Vult hoc loco Philometor ut radicis mei, serpylli, opopanacis sint singulorum dra.ij. seminis trifolij dr. una, anisi, marathri, ameos, apij seminis ana oxybaphum unum, erui pollinis tenuissimi oxybapha.ij. uini ueteris tantum quantum ad colligenda omnia sufficit, fingendos esse trochiscos, exsiccandosque in umbra, dandum uero ex ijs obol.iij. cum uini cyathis tribus.

Heraclidis Tarentini enneapharmacos, quę est apud ipsum in libro de uenenatis animalibus, sic autem habet.

Myrrhę troglotidis, opopanacis, opij ana dr.ij. radicis brioniæ dra.iiij. hanc non nulli uocant psilothrum, alij uitem agrestem, alij madon, alij Chironiam, alij cercidam, aristolochiæ longę corticis dra.iiij. in uniuersum enim cortices radicum utiliores sunt quàm partes interiores, radicis pyrethri dra.iiij. seminis rutæ agrestis, cymini Aethiopici, seminis trifolij ana oxybaphum terito omnia & cribrato, collige aceto, gummi prius macerato ut glutinosi aliquid habeant, finge tro

chiscos, exsicca in umbra, ubi usus exigit da trochiscum medium cum uino aut aceto in quo decocta fuerint folia rutæ, hoc sepius die facito donec absumpseris drachmas trochiscorum integras duas, alioqui si plus dederis uomitus cietur, proinde non consulo ut plus exhibeas, quòd si Pharmacum uomitu eijciatur da iterum sæpius eodē die. Oportet uero nutrire ęgrotum, & uinum illi dilutum offerre, sæpius id faciendum est, immo & aqua calida utatur, perfundatque salutaribus medicinis locum affectum, fiat uero loci affecti deorsum uersus inclinatio.

Enneapharmacos) idest ex nouem simplicibus medicinis composita nam nomen id significat.

Salutaribus medicinis) græce dicitur ὠφέλειν δυναμένους quæ iuuare possunt, præter cætera autem iuuat perfusio ex helliotropio de quo superius diximus.

Dorothei Pharmacum factum ad omnem serpentum ictum.

Corticis radicis uerbasci fœminę, seminis trifolij ana dra. unam opopanacis, serpylli, meu, coaguli hinnuli ana drac. ij. seminis apij, ameos, seminis marathri, seminis anisi ana oxybaphum, erui siccati ad solem drac. ij. quę sicca

ſunt tere, cribra, collige uino Ariuſio, in quo di
ſolues etiam & coagulum & opopanacem, fin-
ge trochiſcos, da iuxta robur uirtutis ęgri, iis
qui adhuc ualidi ſunt dabis dra. unam uini coty-
lam unam, aliis autem obolos. iii. uſus eſt Doro-
theus eo Pharmaco & ad affectus inteſtinorũ,
& quando uolebat fluere materiã ad ueſicam, ad
tuſſes atque alia multa, expertus eſt ſemper fuiſ
ſe efficax remedium, utendũ illo eſt ſi aduerſus
uenena cum uino, ſi ad alios affectus cum aqua.
Alia Hybriſti Oxyrinchiti, facta ad omem ue-
nenatorum ictum, perſcripſit eam Appollonius
Memphites, compoſitio eius talis eſt.
Ariſtolochiæ, panacis, ſeminis agni ana dra. iiii.
cachrys, myrrhæ, piperis, ſeſeleos Maſſaleoti-
ci, nardi Indicæ, caſtorei, cinamomi nigri quam
tenuiſſimi, piperi longi, lachrymæ Cyrenaicæ,
iridis, ſeminis rutę ſyluaticę ana dra. ii. hyperici
dra. unam, omnia tere cribra, fac trochiſcos ad-
fuſo mero, exſicca in umbra, da dra. unam, in ui
ni meri cotyla una & aquę. iiii. Appones autem
ad locum affectum trochiſcum unum fractum
& uino diſolutum, adiectis ariſtolochię bene tri

tę dra.iiij.farinæ quoque drachmis.iiij.hæc con-
tunde contere diligenter appone extra,suprapo
nito folium ficus ,obligato tandem fasciolis.
Antidotus theriaca,ijs qui a uiperis morsi sunt,
plurimum facit ad omnem cuiusuis serpentis
morsum ,hanc Gallus quum rediret ex Arabia
Cæsari dedit,sanauitque plurimos eius milites
qui icti fuerant uel a phalangiis,uel a scorpioni-
bus uel morsi a cane rabido , aut a quopiam a-
lio,sic autem habet.
Orobi siccati sub sole drac.xxv.radicis brioniæ
drac.xvi.seminis rutæ agrestis drac.xij.seminis
trifolij ireos Carthaginensis,opopanacis,aristo
lochię longæ.succi papaueris,zingiberis singulo
rum dra.viij.cymini Aethyopici,myrrhæ , erin
gij,succi Cyrenaici,croci,serpylli,costi,sagape-
ni singulorum drac.vi.adfunde uinum Aminę-
um,fac pastillos , quos dabis iuxta robur uirtu-
tis,integra dosis esto obol.iij. aquæ cotyla me-
dia,ad affectus autem alios cum mellicrato.

Epithema morsis a uipera.

Sagapeni,piperis,succi Cyrenaici , opopanacis
singulorum pars una,galbani,sulphuris uiui ana

dra.ij.sicca terito & subtili cribro secernito, succos autem disolue, quos adijcies siccis facies que emplastrum spissum, appones loco affecto, supra autem folia ficus aut urticæ.

Aliud.

Cardamomi, radicis eringij, sulphuris uiui, piperis singulorum partes æquales, myrrhæ, galbani ana partes.ij.fac ita ut prius dictum est.

Aliud.

Fellis terræ, mali terrę, radicis peucedani singulorum partes ęquas, tere cribra, aceto perfunde, galbano collige, & utere ut prius diximus.

Aliud.

Cachrys, hærbæ pedicularis, radicis brioniæ, aristolochię singulorum pars una, myrrhæ, opopanacis ana partes.ij.aceto collige ita ut prius diximus.

Sesleos Massaleotici) hoc seseli Massaleoticum est quod nostri siler montanum esse putant de quo superius diximus Cinamomi nigri) nos qui cinamomo uero caremus accipiemus cassiæ fistulæ idest cassiæ ligneæ duplum iuxta illud præceptum Galeni ubi cinamomum deest duplum cassiæ accipiendum.

Farinæ) eligenda ad eam rem est farina hordei, ipsa siquidem

dem est accommodatior.

Fellis terrae, mali terrae) fel terrae Scribonius & optimi quique medici centaureum uocãt, malum uero terrae aristolochiam notam omnibus.

Visum autem est mihi hoc loco adponere Damocratis quoque descriptiones, quae se habent ad hunc modum.

Damocrates.

VOlo nunc describere Pharmaca quibus curari debent morsus uenenati, uiperarum, cerastum, aspidum, chersidrorum, uesparum ictus & apum, scorpionum, phalangiorum, confice ad hunc modum.

Ireos Illyricae partes. viij. zingiberis, opopanacis, meconij, radicis libanotidis, seminis trifolij Cretici dra. vij. aristolochiae longae, seminis rutę agrestis ana dra. xij. radicis brionię albissimę, serpylli, myrrhae, castorei Pontici singulorum dra. xvi. eringij, seminis apij Aetiopici recentis ana dra. vi. orobi albi purgati partes. xxiiij. omnia haec sicca cribrata uino collige, fac orbiculos siue trochiscos, da ad bibendum drac. unam cum uini meri boni ueteris cotyla una. Qui inflatum habent colon aut uentrem, medium eius

Iniusta hic sunt nonnulla pondera apud Andernacum.

quantitatis accipiant etiam cum aqua, confert plurimum & iis quos citra causam manifestam aliqui inuaserunt dolores.

Citra causam manifestam) idest citra causam procatarcticā de qua Galenus in libello de causis morborum, & in methodo medendi. Videtur autem hoc loco Damocrates plurimum commendare hanc antidotum ut quæ sit anodyna omnium dolorum, omnium inquam dolorum quorum causæ id est morbi non habent adiunctas amplius sibi procatarcticas causas, quam diu enim procatarctica causa agit indicatio prior & potior est ablationis eius & non ipsius antidoti sic enim nos docuit Galenus.

Alia Damocratis.

REmedium ualde bonū, quo uidi uti homines quos uocant Psyllos dum quispiam illorum a uiperis mordetur, aiunt autem homines illos natura difficiles esse ad suscipiendum uenenorum noxas. Vidi eadem antidoto usos & adiutos alios plurimos qui iam icti læsique a uenenatis animalibus fuerant. Melisophyllum exsicca in umbra, dum satis siccum fuerit tere, ex trito drachmas bis octo sumito, quibus aristolochiæ rotundæ aut longæ siccę dra. x. adde, chamædryos tantundem myrrhæ troglotidis tantundem, omnia hæc tundito, subtili cribro secernito

addito mellis quantum opus est, colligito tandem antidotum, quam magnitudine drachmę aut paulo maiore cum uini aqua bene diluti cyathis decem exhibeto. Aliqui autem ex folijs eius recentibus succum exprimunt, cui æquam portionem uini affundunt, dantque ad bibendum, quantitas potionis eius est cyathi.x. aut paulo minor, folia autem lęuigata applicant loco affecto.

Psyllos) Psylli populi Africæ prope Garamanthas, didicimus ex Pluthearcho, Plinio, Athenæo, fide dignis scriptoribus eos homines securos fuisse a uenenis & morsibus uenenatorum animaliũ, hos Cato dum ad solitudines Africæ iturus erat comites itineris secum abduxit, ut si quispiam ex suis a uenenato quopiam animali demorsus esset haberet in promptu medicos, Psylli enim ore exsugebant uenena, labijs linguaq; adtrectabant infecta ueneno membra.

Melisophyllon) marrubio seu prassio forma & facultate simile, sed plurimum ab eo uincitur, quam ob rem nemo illo utetur dicit Galenus præsente marrubio, utemur eo quando ad manum marrubium non fuerit, dummodo nobis non excidat quanto ab hoc uincatur. Vocatur melisophyllum ab alijs mellitæum, ab alijs meliphyllon, a latinis citrago & apiastrum quoniam apes eo plurimum delectantur, a nostris dicitur melissa.

Alia Democratis.

REmedium efficax ad omne serpentum uenenum pręcipue uero uiperarum, coa

Non applicandam loco

affecto uult esse eam antidotũ Damocrates ut putat Andernaus sed bibẽdã.

gulum hinnuli semper apud te reconditum habe, idque recens, tale enim accommodatius est uentriculo quàm uetus, coaguli eius drachmam unam cum duobus uini Phalerni & aquæ cyathis ijs qui iam morsi læsique sunt bibendam exhibe, iniunge illis ut uigilent, ut deãbulent, quòd si locus affectus permiserit etiam ut in balneum uadant, & ibi aliquandiu restent, reuersi statim coagulum eo modo quo prius assumãt est enim hoc unum ex ijs quæ uenenis plurimũ resistunt.

Alia Damocratis.

ANtidotus alia pręsentanea ijs qui a cane rabido morsi sunt quibus superuenire solet canina rabies, timor rei omnis humidæ, potusque omnis, ita ut quàm primum uiderint aliquantulum aquæ illico tremant, cõuellanturque, moriuntur deinde nimia uigilia ac continua insania detenti, & nisi quàm primum a tali rerum humidarum timore liberentur inuadent illos subito (interdũ post aliquot dies a morsione) symptomata prædicta, ad fugandum igitur hunc timorem rerum humidarum, sacram hanc omnino cura ut habeas antidotum, qui enim eo mo-

do quem dicemus eam biberint nō facile in sym
ptoma quodpiam periculosum incident, hanc fa
cito hoc modo, cancros fluuiales in igne sarmen
torum uitis albæ comburito, læuigato, in pixi-
dem seruandos reponito, gentianæ radices teri-
to, cribrato in alteramque pixidem recondito,
ubi res exiget, duo mystra magna cineris can-
crorum combustorum uni mystro gentianæ ad-
de, da bibendum cum tribus uini dulcis cyathis,
quòd si diem primam neglexeris, altero die du-
plum Pharmaci exhibeto in tribus uini cyathis,
diebus uero aliis duobus aut tribus simplum
Pharmaci pondus exhibebis. Suadent deinde nō
nulli solius gentianæ tritæ cribratæ obol. tres,
cum uini meri cyathis tribus ad uiginti duos us-
que dies esse bibendos, dicebat Niceratus Phar-
macum hoc sua suorumque non indoctorum a-
micorum experientia semper fuisse probatum.

Alia Damocratis.

Paradoxa uero est huius Pharmaci proprietas, lycij optimi Pantarici obolos.iij.aut Indici si co-
pia eius tibi fuerit da ad bibendum ieiuno cum
aqua dies uiginti duos, fertur autem succus bri-

tannicę idem quod lycium præstare posse.

Paradoxa proprietas) paradoxon dicimus quod præter opinionem nostram se habet.

Brittanicæ) latinis & græcis brittannica hærba est non illa quidem quam non nulli seplasiarij non recte profecto nunc brittanicam uocant eam scilicet quæ arthemisia uere est, nihil certe commune est arthemisiæ cum brittanica cuius folia sunt similia rumici seu oxylapato, uisq; adstringens quã etiã lycium habet. Porro arthæmisiæ (eius scilicet quæ tenuis arthemisia dicitur quam illi nobis pro brittanica cõmonstrant) uires et folia sunt diuersissima, uis enim illi calefaciendi exsiccandiq; est. Adfertur ex Anglia in ciuitatem Prussiæ Gedanum magna prudentioribus ciuibus britanicæ copia ad curanda oris puerorum uitia. Animaduerti multos nomen græcum βεττονικη etiam in Galeno exposuisse betonicam, imposuit illis fortassis lexicon græcum in quo βεττονικὴ legitur pro betonica, sed quam bene ipse Dioscorides iudicet, tanta est inter bretanicam & betonicam differentia quanta inter medicamentum frigidum adstringens & calidum digerens.

Alia Damocratis.

ADmirationi est apud aliquos hoc Pharmacum, fellis ursini mystra.ij.cum duobus aquæ cyathis da per dies tres ieiuno & maxime ubi canina rabies seu insania ægrotum inuadit.

Admirationi est apud aliquos (mirum profecto est quo modo fel ursinum res alioqui nimium calida mordaxq; po

terit prodesse ijs qui a cane rabido demorsi sunt qui laborant affectu calido & sicco, adeo ut perpetuo uigilent, ut tota facie rubeant atque etiam insaniant. Non uidimus nec legimus apud celebrem ullum medicum, fel solum citra mixturam tẽperantium se, nec in tanta quãtitate unquam exhiberi intro assumendum in corpus. Si uera est hypothesis illa medicorum simile conseruatur atque etiam augetur suo simili procul dubio fel ursinum augebit calidos siccosq; ægroti affectus tantum abest ut minuat. Quod si quis dicat datur hic fel ursinum non ut sua qualitate curet sed ut alexipharmaca seu amuleta totius substantiæ facultate ueneno resistat, huic nos ita responsum esse uolumus, fel non habere amuletam facultatem (eam dico quæ non unius nec duarum qualitatum ui sed totius substantiæ facultate ueneno resistit) nemo siquidẽ ex scriptoribus probatis felli amuletam facultatem inesse unquam scripsit, dicit quidẽ Dioscorides fel contra morsus uenenatos plurimum ualere, at non quoscunque morsus sed serpentum inquit, serpentum autem uenena frigida sunt, quibus fel calidum recte quidẽ contra operabitur, addit quoque Dioscorides in emplastris & linimentis non in potu, quòd si parum firma tibi hæc ratio esse uidebitur propterea quòd iuxta dialecticorum præcepta locus ab autoritate destruendo nullius momenti est, audi rationem firmiorem qua tibi constabit felli ursino amuletam facultatem contra uirus canis rabidi non inesse. Ea quæ amuleta sunt totius substãtiæ facultate mediæ naturæ esse debent inter naturam ueneni & corpus humanum, ita ut eadem sit proportio corporis ad amuletum quæ amuleti est ad uenenum & e diuerso ueneni ad amuletum quæ amuleti ad corpus, ita enim nos Galenus docuit, fel autem ursinum medium esse non potest, inter cor=

pus hominis & uenenum canis rabidi, tum quia fel adeo siccum calidumq; est ut etiam suo acrore uenas illitum aperiat, tum quia tanta hic eius dosis est ut quantitatis augmento plus calefacere possit quàm uirus canis rabidi qualitatis intensione, duo enim mystra facient unciam unam & mediã. Quare potius dicamus quòd Damocrates uerba hæc παρὰ ἐνίους θαυμάζεται idest apud aliquos admirationi est, protulit uon in laudem huius remedij, sed ut ostenderet dubiam illi debere dari fidem, quandoquidem multi hoc demirantur tanquam absurdum, sic & nos dicimus sæpius ea nobis admirationi esse quæ absurda sunt fiunt tamen ab aliquibus, hæc uoluimus adnotauisse non ut eruditos uiros ueluti sus mineruam doceam, sed ut ligneos illos ἰατροὺς ab usu eius remedij deterreamus, qui quanto in censendis medicamentis iudicii minus habent, tanto plus in medicando audatiæ, amãt niminm receptas (ut ipsi uocant) nouas & secretas, nollem uero ego nouas has Galeni antidotos in pernitiem alicuius prodiere in publicum.

Alia Damocratis.

EMplastrum quo ego utor ad loca morsu canis affecta, reddit saniem bonam, etiam si liuida aut nigra existat, aufert odorem eius putidum. Appones hoc remedium posteaquam prius aliquot dies latius ulcus loci affecti feceris ulcerante pharmaco & escharotico. Confert plurimum uulneribus ijs quæ uel a feris uel telis uenenatis illata sunt, ulceribus denique om-

nibus

nibus malignis. Terræ nigræ ampelitis dra.l.ly
thargyri bonæ tantundem, asphalti, olei tantun-
dem, propolis Atticæ drach.xxxx.aristolochiæ,
symphyti ana dra.iiij.prasii dra.iiij.heleny drac.
iiij.chamæleontis dra.iiij.smyrny dra.iij.ireos al
bæ bonæ tantundem, gallarum omphacinarum
dra.iij.aluminis dra.vi.poly tantundem galbani
dra.vi.obol.unum, thuris non secti dra.xij. & ol-
cæ medium, chalcitis ustæ dra.iiij.centaurei tenu
is dra.vi.mellis Attici recentis drac.xx. diligens
& accuratus sis in conficiendo eo remedio, cito
enim & maxime aduri potest. Modus conficien
di is est terram ampelitim & lythargyrum in
ollam uacuam satis magnam immitte, oleum
affunde, coquito igne mediocri, ubi fœtere tibi
uisa fuerint, alumen & chalcitim adyce, porro
in olla altera sit mel, galbanum, propolis & reli
qua quæ liquabilia sunt, coquito mediocriter, co-
cta lythargyro deinceps affunde ac aliquãtisper
in commiscendo immorare, ubi uideris empla-
strum esse iam non adeo liquidum, adyce hær-
bas & radices, remoue deinde statim ab igne, u-
bi satis refrixit Pharmacum agitato illud subigi-

toque manibus, corio tandem opertum asseruato, uidi plurimum profuisse hoc pharmacum ulceribus quæ uel a telis uel animalibus uenenatis illata fuerant, est enim horum omnium ulcerum curatio prorsus similis, oportet siquidem carnem uulneratam illico abscindere ferro aut igne, cucurbitulas hulceri si possibile fuerit applicare, sinereque hulcus dilatari acribus & causticis pharmacis per multum tempus id quod ego latius declaraui in libro alio ubi egimus de pharmacis quæ ustis prius sectisque congruunt. Vtere uero interim & antidotis quæ potabiles sunt ijs scilicet quas in morsu uiperarum exhibendas tradidimus, utere coagulo hinnuli, gentiana eo modo quo dixi, hæc enim eadem ijs qui a rabido cane morsi sunt conueniunt, confert & succus Cyrenaicus quòd si hunc non habueris Medicus magnitudine oboli cum duobus aquæ cyathis, gentiana pondere obol. iij. est autem succus eius herbæ radice multo melior.

Hic negligens erat Andernacus.

Terræ ampelitis) terra hæc seu creta apud Galenum etiam pharmacitis dicitur, similis est bitumini, nigra est, nam si fuerit candida improbatur, uocatur autem ampelitis non quod uitem (quæ græce ampelos dicitur) in ea serere

præstet, sed quod uiti circumlita interimat nascentes in ea uermes. Portabatur hæc quondam ex Syria nunc negligentia nostrorum & hæc & aliæ cretæ multæ desyderantur.
Symphyti) idest consolidæ.
Helenii) idest enulæ campanæ.
Chamæleontis) alij uocant ixiam, alij carduum uariam, alij carduum albam, nam duas diximus superius chamæleontis esse speties albũ & nigrum, hic de albo sermo est eius enim radix uim theriacam obtinet.
Smyrnij) de hoc superius diximus.
Gallarum omphacinarum) licet arbores omnes quæ glandem ferunt etiam gallas ædant, per excellentiam tamen gallas roboris seu quercus ita uocant medici. Dum scribitur apud medicos simpliciter galla intelligitur fructus quercus. Duo sunt autem gallarum genera aliæ enim sunt paruæ, nodosæ ponderosæ, non perforatæ & hæ omphacinæ seu omphacites apud græcos dicuntur, Aliæ sunt leues, maiores, perforatæ, utrique generi spissandi uis inest, omphacites tamen maiorem in medicina uim habent.
Chalcitis ustæ) modum urendi chalcitim docuit in priore libro Galenus, libet autem mihi hoc loco de metallicis medicamentis paulisper sermonem protrahere, primum quidem ut uulgaribus medicis seplasiarijsq; nostris quibus hæ incognitæ inauditæq; sunt, scisitandæ perquireudæq; salutaris admodum partis materiæ medicæ uiam ostendamus, deinde uero ut promissis nostris maneamus, promisimus siquidem in libro priore nos declaraturos hoc in loco quid sit cadmia, quid diphryges, spodium, pompholix, chalcithes, quid mysi, quid sori. Repererunt quidam ex nostris turpem profecto modum excusandi se quo minus ea nouerint, quoties interro-

guntur de calcithi, de mysi, de sori & id genus alijs, aiunt nostro tempore non esse ea in usu, at si illos quispiam peritus medicus roget quare non sint in usu, quum apud Galenum & celebres omnes medicos ea sint usitatissima, nō haberent quod responderent nisi quòd ipsi nesciant ea inuenire & inuentis uti, quibus quid aliud præcipiendum est nisi ut abeant ad fodinas unde æs eruitur aut si ipsi non possunt abire ut amicorum opera in ea re utantur (nam hoc ipsos facere cogit ius & ipsa ratio) fodinæ æris non tātum in Cypro sunt sed etiam prope fines Italiæ in Germania, habent & suas Poloni, Vngari, & Angli, non est quod se quispiā excuset. Si Galenus ad uidendum ea multo longius iter fecit in Cyprum, decet te multo breuius facere, ubi igitur ueneris ad fodinas percontare, si non habes alios amicos, a fossoribus qui illic laborant, de uena æris sic enim illi uocant lapidem metallicum ex quo conflatur æs quem dum tibi commonstrabunt scito illum ipsum chalcitim esse, quam diligenter intuea re, diuidas etiā in minutas portiones, est enim mollis & friabilis, uidebis enim frusta seu portiones in ea alias esse flauas stellarum modo interlucentes, alias esse nigras foraminibus multis peruias & pingues, alias cineritias graciles, primæ uocantur mysi, secundæ sori, tertiæ sunt æris ipsius substantia, tres enim has in se & genere seu natura & situ diuersas partes concretas tamen simul chalcitis habet, quarum tamen affinis natura est adeo ut Galenus uiderit chalcitim apud se diu asseruatam transmutatam fuisse summa superficie in mysi, ubi igitur hæc uidisti chalcitim scilicet sori, mysi, ærisque substantiam (oportet autem hæc non solum uidere sed pro usu toto uitæ spatio adseruare, non enim corrumpuntur huiusmodi medicinæ) accede deinde ad fornaces in qui-

bus æs ipſum conficitur, uerte oculos huc & illuc, uidebis enim & eo tempore dum æs coquitur & poſt coctionem fauillas ſeu cinerulã quãdam ſubtilem per diuerſos fornacis parietes diſperſam, hanc eandem uidebis ſuperſidere in ſummo ipſius cineris qui in fornace eſt, quæ adeo leuis eſt ut parum commota per aerem facile uolitet, ubi hæc animaduerteris ſcito fauillas illas pompholygem eſſe, cinerem uero qui groſſior, nigrior, grauiorq; eſt quàm fauillæi, ſpodium eſſe (non te decipiant figmenta quorundam dicentium os elephantis aut chartas combuſtas ſpodium eſſe) ſuſpicito tandem ſuperiores fornacis partes uidebis enim quiddam durum, ſolidum, adhærens ipſis fornacis ſuperioribus partibus, coloris cineritij aut puniceï, opertum caliginoſo puluere, hoc ipſum cadmia eſt, a noſtris uocata tutia. Solent qui cadmiam quærunt in ſummis fornacis cameris uirgas ferreas ueluti axes, tranſuerſas ſuſpendere ut in ijs cadmia (quæ ſublimis effertur dum æs ipſum coquitur ſeu ſublimatur ut noſtri dicunt) melius ſidat & hæreat, diſcutiunt hãc deinde ab illis axibus, diſcuſſa auulſaq; apparet ueluti fiſtulæ fractæ ſeu cannæ comminutæ, talem enim figuram ab illis uirgis nacta eſt cadmia. Porro ad fundum ipſius fornacis ad cannales per quos defluit æs ex fornace uidebis relictam eſſe quandam fecem æris ſeu ſedimentum ſatis ſpiſſũ & durũ hoc ipſum diphryges dicitur. Cæterum chalcantum quod noſtri uitreolum uocant, latini atramentum ſutorium, omnibus ut opinor ſatis eſt cognitum. Sunt autem diuerſa alia genera non nulla rum ex ijs, quas diximus metallicas medicinis, ſed hæc quæ diximus meliora ſunt & ad medicandum aptiora. Sunt etiã inter eas metallicas adulterinæ medicinæ plurimæ quas prauorum hominum ingenium excogitat. Sunt quidam

(& maxime in Italia) qui pro cadmia pharmacopolis nostris uendunt fistulas quasdam disruptas, quas turpes sed tamen diuites inde facti impostores, conflaunt ex aere, silice lapide contrito, & aeris rubigine, commiscent hęc tria & in uirgis circumlita exsiccant, exsiccata tandem colligunt, disrumpunt ut appareat ueluti fistulae seu cãnae fractae quales etiam sunt uerae cadmiae idest tutiae, nostri qui dolos huiusmodi discernere nequeunt sumptus & operam in medicando perdunt.

Antidoti theriacae conscriptae ab Haera quas & nos ipsi experti sumus.

Theriaca quam in usu habuit Marcus praeceptor noster, seminis bituminosi trifolij partem unam, aristolochiae rotundae partem unam, rutae syluaticę partem unam, erui sicci partem unam uino excipe, fac trochiscos drachmarum quottuor da unum cum uino & oleo.

Alia pro ijs qui morsi sunt a uipera.

Ea quae hic plura habet codex graecus Andernaci in nostro non sunt.

Folia fraxini terito, succum ex ipsis extorqueto, quem da bibendum cum uino, foliis uero tritis uulnus circunline.

Alia pro iis qui a phalangijs laesi sunt.

Vni trochisco ipsius trigonis, admisce piperis coccos.xiij.seminis phylli coccos.xxxx.da bibendum cum uino calido ad diem tertiam.

Trochisco trigonis) putaret quispiam uocatos esse eos trochiscos a nomine proprio cuiuspiam compositoris, sed græca litera quæ habet ἐν ἰ τροχισκῳ τῆς τριγώνος, declarat nomen trochiscis inditum esse ab ea hærba quæ trigonos dicitur, eadem peristereon rectus uocatur, hanc superius hærbam sacram esse diximus, nostri uocant uerbenacam alij hęrbam sagminalem ex hac confecti trochisci, trigonis trochisci dicuntur.

Phylli) latinis & græcis idem nomen est phyllon hærbæ cuius folia pallidiora sunt quàm oleæ, flos candidus, caulis gracilis & breuis, semen simile papaueris, cuius duæ sunt speties alia est fœmina theligonos dicitur alia mas arregonos uocatur, mira est eius facultas in conceptibus prouocandis, ferunt semen alterius potum maris, alterius fœmine conceptum facere, flos eius habet adiunctum sibi quiddam simile musco, habetur hoc in officinis Venetis sed non omnibus.

Alia eiusdem facultatis.

ARistolochiæ Creticæ longæ drac. unam cymini Aegyptij obol. ij. seminis rutę syluaticæ dra. vi. succi Cyrenaici drac. ij. ℥. s. milti Lemnij dra. x. myrrhæ dra. vij. opobalsami dra. vij. piperis albi dra. ij. s. cachrys dra. iij. contunde, cribra, melle collige da magnitudinem fabæ Aegyptiæ cum aqua calida, quòd si fortius uideri uoles da duplum.

Antidotus alia post prædictas.

NEscio cur ita citra ordinem posteaquam duas antidotos pro ischiadicis scripsisset, iterum scripserit antidotum Zopyrion uocatam, & aliam quandam ex plurimis compositam quæ ut ipse ait est pro uenenatis omnibus siue prius siue posterius assumatur, congruit & iys qui morsi sunt a cane rabido, confert pleureticis, utilis in omnibus doloribus, muliebribus affectiontbus per quàm accommodatissima. Post hanc uero iterum describit antidotum ex centum simplicibus compositam cuius multiplex usus est, uenenis tamen maxime resistit, iuuat peculiariter eos qui a cerusa suffocantur, post eam deinceps describit aliam ex terra Lemnia, quã & ego superius descripsi uerbis Damocratis. Prætermissa igitur illa quæ ex centum constat simplicibus sufficiet mihi hic apponere Zopyriam & aliam quę post eam sequitur, illam quoque quæ ex terra Lemnia conficitur, eadem est enim Andromachi Zopyrios utilis omnibus affectibus, maxime uero ueuenatis, hepaticis, uentris inflationibus, incipientibus affuffionibus ac maxime ubi flatus est non paucus.

Hic corruptum habuit græcum codicem Andernacus.

Ischiadic is.

Iſchiadicis) noſtri dicunt ſciaticis corrupto uocabulo.
Zopyrion) nomen hoc a compoſitore inditum eſt de quo diximus ſuperius.
Ex centum ſimplicibus compoſitam) hanc hoc loco præter mittit Galenus non quia parui illam faceret aut contemneret ſed quia prius illam deſcripſit, illa eſt quæ uocatur hecatontamigmatos.
A ceruſa ſuffocantur) proprium eſt ceruſæ ut ſuffocatione hominem occidat, primum enim hi qui illam biberunt linguam habent albicantem, commiſſuras dentium albas, deinde ſubſequitur nauſea & uomitus, eijciunt medicamenta ſi quæ biberunt, poſtea ſuccedit caligo oculorum, uertigo deinceps, poſtremo uia ſpiritus intercluditur & præfocantur.
Affuſionibus) græci dicunt παρεγχύσεις ὡς eſt autem generale nomen ad omnem materierum affluxum ex quo fit apoſtema. ſolet tamen interdum Galenus affuſiones uocare, aquam intercutim ſeu hydropa id quod facit & hoc loco.

MYrrhæ drac. v. nardi Syriacæ drac. v. ſ. cocci dra. iiij. ſ. floris ſchœni dra. ij. ſ. caſſiæ dra. iiij. cinamomi dra. iij. piperis albi drach. unam. ſ. thuris dra. unam obolum unũ, coſti dra. unam, melle attico collige, da magnitudinem nucis auellanæ cum œnomelite aut cum aqua.

Coccum hic obmiſit Andernacus.

Cocci drachmas quattuor) obſeruauimus hoc diligenter apud græcos medicos, dum ſcribunt coccus intelligunt granum tinctorium, dum uero ſcribunt coccus Gnidius intelligunt granũ quod fert thymelæa de qua prius diximus. Sunt

autem diuersissimæ naturæ cocci Gnidii, & cocci (quod Galenus solet appellare granum Baphicũ, nos granum tinctorium) coccus enim adstringentem amaramq; qualitatem possidet, utraque autem hæc qualitas absque morsu desicat coccus autem Gnidius est acris adurentisq; qualitatis obtinens uim etiam purgatoriam. Scribitur a Pausania, Dioscoride, & Plinio coccum tinctorium in regionibus diuersis, diuersis ex plantis prouenire, in Galatia & Armenia gignitur ex frutice paruo surculoso, in Cilicia gignitur in quercu in Polonia (hoc enim ego addere possum) prouenit ab herba satis exili cuius inferiori parti qua radices sunt adhærent grana, ad tingendas purpuras accommodatissima, quæ nisi cito colligantur aut si collecta improuide seruentur, uertuntur in uermiculos, id quod de coccis Atticis & Asiaticis (qui etiam celerrime in uermiculos transmutantur) a ueteribus scriptoribus etiam scribitur. Sunt cocci ii nostris mercatoribus aliquando extremæ paupertatis, aliquando magnarũ opum occasio, si enim bene collecta grana, beneq; purgata in tempore uendiderint lucrantur plurimũ, quod si negligenter curentur aut longius tempus quàm par est asseruentur, ex carissimis mercibus uilissimæ efficiuntur sordes. Nõ possum hoc loco silentio præterire quiddam quod adnotauit Dioscoridi Marcellus, ait enim Dioscorides surculoso frutici grana φακοὶ idest uelut lenticulæ adhærent, Marcellus inquit dictum hoc non ad formam grani, sed ad hærendi modum esse referendum, quasi uero grana hæc adhærerant frutici siliquis interclusa (sicut adhærent lentes) potuit Marcellus si non uidere ipse suis oculis, saltem ex Pausania addiscere, grana tinctoria instar granorum solani hærere suo surculo, sine siliqua, sine folliculo.

Antidotus utilis uenenatis oĩbus siue prius assumatur siue posterius, utilis est & iis qui a cane rabido morsi sunt, utilis pleureticis, & doloribus interioribus, accommodatissima affectionibus & doloribus muliebribus.

Glycyrissæ drac.vi.obol.unum.s. seminis dauci Cretici dra.vi.obolum.unũ.s. opij dra.iiij.obol.ij.castorei dra.ij obol.unum.piperis longi drac.vi.obol.iiij.costi drac.vi.obol.ij.spicæ nardi dra.vi.obol.unum.s. cassiæ nigræ drac.v. obol.ij.thuris masculi dra.unã,s.seseleos dra.v. obol.ij.scordij dra.vi.obol.ij.s.hypocystidis succi dra.vi.acori dra.ij.foliorum malabathri dra. vi.obol.unum, sagapeni drac.ij.fructus balsami dra.v.obol.ij.myrrhę dra.vi.croci dra.vij.obol. ij.styracis dra.vi.cinamomi dra.vij. obol.ij.zingiberis dr.vij.obol.ij.piperis albi drac.v.obol.ij. phu dra.v.petroselini dra.iiij.nardi Celticæ dr. iiij.obol.ij.s.hyperici drac.ij.succi acatiæ drac.ij. gentianę drachmas quattuor, Illyricę drachmas duas, anisi drachmas tres, thlaspis drachmas.vi. obol.ij.s.rosarum siccarũ dra.iij.meu dra.ij.floris schœni dra.vi.obol.ij.gummi dra.ij.cardamo

mi drachmas quattuor, opopanacis drachmas septem opobalsami drach.vi.s.galbani drach.ij. obolos.ij.terebinthinæ dra.vi.obol.ij.agarici dr. vij.s.cypheos dra.vi.bdellij dra.vi.scinci drac.ij. amomi dra.iij.polij dra.v.obo.ij.dictami dra.vi. seminis rutæ agrestis dra.iiij.sigilli Lemnij dra. ij.s.erysimi dra.iiij.uino Phalerno & melle Attico omnia collige.

Illyricæ) dicendum erat iris Illyricæ, sed epitheton solum sufficit, scimus enim id quod Galenus in priore libro docuit, irim quæ usui medicinæ congruit nasci solũ in Illyria. Erysimi) idest erucæ nobilis de qua superius diximus. Cypheos) idest trochiscorum cyphi de quibus satis superius dictum est,

Sigilli lemnii) idest terræ sigillatæ.

Antidotus alia quę plurimum utilis est ad uenenata siue prius siue posterius assumatur, quæ nihil nocet etiam si post alias medicinas detur, mouet autem nauseam ac eijcit omne quod noxium est.

Terræ Lemnię dra.unam obol.ij.baccarum iuniperi dra.ij.lęuiga excipe oleo optimo, da magnitudinem nucis auellanæ cum mellicrato.

Ex libro Aphrodæ ijs qui iam aquam metuunt.

Lathyridis unciam unã, castorei dra.ij.læuiga,

da dra.unam ad bibendum cum cotyla roſacei.

Catapotium pro hydrophobo.

Caſtorei dra.unam.s.baccarum Lathyridis grana.ix.da.

Aliter apud Nicoſtratum.

Caſtorei dra.vij.lycij Indici drac.iij.gentianæ dra.ij.cancrorum uſtorum drach.unam.s.melle commiſce,exhibe.

Lathyridis) hæc apud Meſue alben e ſud,& cherua dicitur,noſtri uocant cataputiam minorē, hærba eſt lactaria,lac enim ex ſe emittit & īter tithymalos ab aliq̄bus numeratur. Catapotium) ueteres catapotia noſtri dicunt pilulas. Baccarum lathyridis) habet lathyris baccas ſeu grana piperis magnitudine,his ſeptenis aut octenis ī catapotijs ideſt pilulis ſoluendæ alui cauſa Dioſcorides utebatur educunt enim equam,pituitam,& bilem,dantur etiam grana integra ſeptena aut octena cum caricis aut palmulis ideſt dactylis, Paulus dabat uſque ad quindecim.

Mirabile remedium hydrophobo.

SI aqua in qua fabri ferrarij ferrum extinguunt detur ad bibendum inſcio artifice mirabile erit remedium,ſed ſi iam aquam timent adponito poculo pannum ex tabula ut citius bibant.Prodeſt etiam dare cochlearia tria ſolius gentianæ cum aqua.

Hydrophobo) id est qui hydrophobia laborat qui aquã iam timet, ut solent morsi a cane rabido.

Mirabile remedium) non dicitur hic id remedium mirabile laudis maioris gratia, sicut neque illud aliud remedium quod etiam Damocrates mirabile esse dixerat (de quo superius satis diximus) quin potius mirabile hoc dicitur remedium quoniam si iuuat confertq;, mirum est qua facultate id fiat, quid enim efficatiæ remedio accedit si nesciat faber dum aqua ab illo sumatur. Duas tantummodo inuenies antidotos in hoc libro quibus fides adhibenda esse non uidetur, quibus etiam tantum duabus, additum est hoc epitheton, mirabile.

Amartani grãmatici ad podalgicos quo & ipse usus est.

RHei Pontici dra.x. piperis albi dra.viij. petroselini, agarici, hyperici, acori, eringij ana dra.xvi. cardamomi, thlaspis acatiæ, succi radicis dulcis, rosarum siccarum ana drach. lxxiiij. seminis marathri dra.ij. aristolochiæ longæ drac.ii. rotundæ tantumdem, fructus oxymyrsinæ drac.iij. seminis apij drach.iii. seminis napi syluestris drac.iii. zingiberis drach.iii. gentianæ drach.vi. scinci drac.ii. thuris drach.v. phu Pontici drach.ij. erysimi dra.vi. ireos Illyricę drac. xiii. cassiæ, libystici, florum schœni, spicæ nardi,

Hic pro libystico Andernacus libycam cassiam posuit falso.

ſii, ſcorpiuri ana drac. vi. mellis quantum ſuffi-cit da magnitudinem nucis auellanæ ſemel in anno.

Fructus oxymyrſinæ) oxymyrſine eſt myrthus ſylueſtris differt a ſatiua myrtho baccarum rubedine & breuitate. Latini oxymyrſinen uocant ruſcum, uulgus dicit corrupto uocabulo bruſcum, tam uulgaris eſt in Italia ut etiam ſcopas ad uerrendas domos ex ea conficiant.

Lybiſtici) quod Dioſcorides uocat liguſticon hoc alij medici etiam & ipſe Galenus libyſticon uocant.

Sij) ſium alij anagallidem aquaticum uocant, alij lauer, uulgus uocat creſiones, quamuis re uera creſiones olus acetarium & frigidum differat a ſio quod calidum eſt & odoratum, latius apio, nigrius & pinguius.

Aliud quo ego utor.

CHamędrys drac. lxxiiij. ſcordij drach. iii. petroſelini drac. iii. cardamomi drach. iii. praſii, gentianæ ana drac. iiii. centaurei dra. iiii. ſemis. ariſtolochiæ rotundæ tantundem, mellis quantum ſufficit da magnitudinem nucis auellanæ cum aqua ſemel in anno. Hic falſa re[illegible] fuit pondera Andernacus.

Galeni de antidotis libri ſecundi finis Ioſepho Struthio Polono interprete.

REVERENDISSIMO IN CHRITO PATRI DOMINO DOMINO IOANni Choÿenski, Episcopo Præmisliensi Regis Poloniæ ab intimis Iosephus Struthius. S. D.

Contendenti mihi non ita pridem Patavij amplissime præsul, cum nostræ classis hominibus uolentiq́; asserere Mathematicam medicis esse magnopere necessariam, quum illi contra niterentur & nescio quæ cauilla proponerent ad extremum huc recidit omnis nostra disputatio ut poscerent me demonstrare, ubi nam Hippocrates aut Galenus aut quispiam alius ex Græcis in curandis morbis opera Mathematices uteretur, quod ego me infra aliquot dies facturum promisi, tum enim non erat facile, non licuit siquidem mihi linguæ græcæ imperitis græce loquentem Galenum adducere, nactus igitur antiquissimum exemplar manuscriptum præter id quod mihi erat domi Aldinum, transtuli in latinum pro uirili mea Astrologiã Galeni ad Aphrodisium libellum quidem exiguum si chartas spectes maximis tamẽ uulgarium astrologorum uoluminibus longe præstantiorem, quem ubi septimo die aduersariis obtulissem ostẽdissemq́; coram ad oculos quo modo Galenus causas morborum, magnitudinem eorum, motus eorum, crises, loca affecta, pericula, exitus, remedia deniq; maiora arte mathematica disquireret amplius illi ne uerbum quidem. Postea ubi complures studiosi & docti uiri toties sibi eum libellum re

scribi peterent uolui simul gratificari omnibus iniunxi id ne gotii nonnullis ut curarent Venetiis illum imprimi. Quia uero optima & antiquissima, ut author est Plinius, consuetu dine hoc ita semper obseruatum est ut monimenta praeclarissimorum uirorum sub patrocinio alicuius principis in lucem aedantur, uolui ut sub nomine tuo exeat in publicum. Extant quidem alias quàm plurimi praeter te heroes qui pro suo commodo & suae sanitatis amore Galeno non solum patrocinarentur sed etiam inter familiarissimos & amicissi mos suos locum darent, prae tua tamen authoritate, prae tua sapientia qua caeteros excellis te unum ex multis & ipse si uiueret Galenus sibi eligeret, negligeret reliquos erat enim summus philosophus sas autem apud hoc hominum genus non quoslibet heroas magnifieri. Solent hoc tempore quae nostra est infelicitas magnates uiri magno opere laudari si nemini noceant, quòd si hoc ita fit quantam tu tandem laudem mereberis? qui multoties dicas, nihil tibi magis cordi esse, quàm parare tibi amicos plurimos eos tamen potissimum quos nouisti esse aliis doctiores, digna me hercle tanto praesule sententia, quam ego ex literis tuis didici. Mirantur nonnulli & maxime extollunt nostrae aetatis nonnullos episcopos quorum aulam aulicis plurimis abundare uident, qua de causa quantae deinceps te admirationi isti habebunt? qui te praeter caetera oblecteris & copia aulicorum non qualiumcunque sed ornatissimorum iuuenum, qui elegantia morum, munditiae linguae Latinae, facundia omnium ad se oculos cō uertunt. Palam uero est quantae aestimationis apud eruditos & magni iudicii homines habeantur episcopi, quorum a lateribus uidere est theologos & iurisperitos qui suggerant qui commoue faciant, qui censeant quid ab episcopo dici fie

rlue oporteat, In quo quidem genere laudis tu primas partes obtines, tum quia ipse iuris utriusque & sacrarum literarum sis peritissimus, tum quia conuiuas tuos familiares tuos in theologia & iuris prudentia primates uiros semper apud te habeas, nimirum simile gaudet simili. Non est (ut tu quidem pro tua modestia putares optime antistes) gloria tui nominis finibus Poloniæ circunscripta, tantus hic es apud exteros quantus es apud Sigismundum unum inter Reges Christianos phœnicem, qui & si habeat quàm plurimos consiliarios & eos equidem omnes prudentissimos, & πολυτρόπους (sic enim uocat Polonos Episcopos Lazarus Bonamicus uir tantæ eruditionis ut illum tota Italia Patauio inuideat) illis tamen rex sapientissimus interdum carere potest te semper præsente indiget, sed de hoc alias. Rogo te amplissime præsul Galenũ quæ ad te mitto ita tractes ut ne quid sentiat decedere sibi æstimationis illius in qua dũ esset in uiuis, apud imperatores, summos alioqui principes semper erat repositus. V. datum Patauii. 11. Ianuarii. 1535.

CLAVDII GALENI PER=
GAMENI MATHEMATI=
ces scientiæ prognostica de de=
cubitu infirmorum. Iose=
pho Struthio po=
lono Inter=
prete.



ONSTAT BENE ex Stoicorum philosophorũ sententia, qui non minus in loquendo quàm in bene uiuendo erant semper exquisitissimi, qualis & quàm exactæ ueritatis sit mathematica sciẽtia: nihilominus quũ præsenes sermo de iis est institutus quæ ars medica perhibet, necessarium uisum est nobis, medicorum præstantissimorum assertiones adferre, tum ut mathematica cognoscatur ab omnibus, tum ut ipsi medici, quanuis non omnes, plurimi tamen eam partem suæ artis qua ipsi ad prẹuidendas res plurimas utuntur, mathematicæ scientiæ se debere intelligant. Hippocrates igitur uir præcipuus, ac in rerum scientia admi

ratione dignus, inquit: Quicunque in medicina se exercent, eius autem philosophiæ ignari sunt quę docet dare iudicia de rebus à natura earum desumpta (physiologiam uocant) horum animus in tenebris perpetuò oberrans fatigatus consenescit: non solum non recte agere huiusmodi homines, sed etiam plurimum decipi dicit: ait enim eorum animum errore confici ac defatigari qui usum physiologiæ ignorant. Qum autem maxima pars astrologiæ ad eam quam diximus physiologiam seu philosophiam iudicatoriam pertineat, liquet illum si partem laudauit, multo magis totam laudauisse. Diocles autem Caristius medicus & orator, non solum hoc idem dicit, ut & tu ipse scis, sed etiam asserit, ueteres medicos ex diuersitate luminis & cursus lunæ, præcognitiones quæ in morbis fiunt, conficere solitos fuisse. Qum uero dignitate & eruditione præstantissimi uiri, qui medicinę partem præcognitoriam non solum diligenter persequuti sunt, sed etiam scriptis suis adauxerunt, idque non solum ex sua arte, sed aliunde etiam sumpto auxilio, aliqua de ijs rebus memoriæ prodiderunt, in

de & tu charissime Aphrodisi, si decubitum infirmi diligenter exploraueris, atque ueterum illorum quos diximus principiis institeris, uberrimam tuæ artis frugem es accepturus, præcognoscendo ac prædicendo ea quæ infirmis sunt euentura. Rem autem hinc ordiamur.

Ante omnia considerare oportet progredientem lunam, sit ne in augmento an decremento sui cursus, nō luminis, in quo multi decepti sunt. Si igitur eo tempore quo quispiam primo decumbit, luna in aliquo signorum duodecim, suo motu moueri incipiat, accedens ad oppositam signi partem, (pars autem signi opposita est quæ maxime & ex diametro distat) præsertim uero si tum etiam coniunctionem cum sole faciat, unde tandem à congressu facto in XVI partem egressa, soluta iam coniunctione in maiorem sui cursus magnitudinem tendat, occidet infirmum sub aduentum in CLXXX partem. Si uero primum decumbente infirmo, luna cursu suo diminuta incedat, morbum ad oppositam usque signi partem protractum, ubi extra diametrum exierit, in salubriorem ęgritudinem transmuta-

Conferas huic loco Aphorismum Ptolomæi. 60.

bit. Aduerte autem & motus seu testimonia stellarum reliquarum: si enim tempore incipientis decubitus, luna in cursum maiorem tendat, interim autem & in schemate solis (aspectus alij uocant) extiterit, augebit morbum & periculosiorem faciet. Si autem & lumine & motu aucta sit, ineuitabile infirmo periculum dabit, ubi diametrum attinget. Quod si in adurentem solem Iupiter fortè inciderit, ipsa una cum Ioue soli schema offerente, morbum quoad fieri poterit securiorem faciet: siue etiam in schemate tetragoni Iouis (quadratum nostri uocãt) existat, infirmis sanitatem restituet aduentante diametro. Si uero Saturni adusti schema acceperit, cursum autem suum eo tempore diminuit, in summo discrimine ac periculo infirmum reponet, aduentante incepti cursus parte CC. Si uero & pasteaquam à coniunctione se redemerit, in minorem cursum feratur, mortem ineuitabilem inferet, circa partem incepti cursus CLXXX. Si autem tempore cœpit decubitus sol lunæ schema & dederit, ipsa uero tum cursum siue etiam lumen minuat, minuetur & morbus ubi uen

tum fuerit ad partem incepti cursus CC. ac postea occurrente bono aliquo schemate, ad sanitatem suam infirmus redibit. Si autem & coniunctionem futuram etiam motu diminuto solutura est, sanitatem restituet circa partem incepti cursus CI XXX. Opus autem erit animaduertere in primis, quo modo stellæ in singulis signis sint repositę, & quem situm habeant: ex progressu enim lunę per signa duodecim, causę morborum cognoscuntur. Scito autem si quis calculos seu numeros negligenter disposuerit, nihil ueri posse succedere: falsitatis autem non res ipsa, sed qui neglig~eter se gerit, causa est. Disquirito tandem accurate & figuram geniture, ex ea enim singula exacte cognoscuntur. Decumb~ete igitur aliquo dum luna est in Ariete, existens in schemate solis, morbus accidet ex eo quod ægroto à radiis solis caput exustum est: dolor erit in membranis capitis, erunt febres continuæ, er~ut uigiliæ, incensiones nimię, sitis, asperitas linguę, ustio ac ueluti flamma in thorace, dolor in epate, pulsus retracti ac inordinati: huic utilis est detractio sanguinis, ac mitigantium & refrigeran-

tium adhibitio: alienatio enim mentis futura est & phrenitis. Quod si interim nullus ex planetis beneuolis lunam protexerit, ac ipse etiam Saturnus una simul tetragonum lunæ addiderit, ultra septimam non uiuet, præsertim si tum luna motu aut lumine augetur. Si autem decumbat aliquis dum luna est in Ariete, affecta maleuoli schemate, tetragono scilicet aut diametro, uel si cum eo fuerit coniuncta, oportebit eum ipsum planetam animaduertere: & si quidem fuerit ♄, causa est in capite, morbus est lethargus, ægroti sunt somnolenti, insensiles, frigidi, neque eandem seruant æqualitatem morbi, nunc enim augescit, nunc minuitur. Quod si luna tum motu aut lumine aut utroque est diminuta, summam ac extremam (ut & antea diximus) morbi accessionem timeat, circa partem incepti cursus CC. Conspicito autem eo tempore & stellas alias: si enim ♃ aliquo schemate lunæ annuerit, magnũ quidem infirmo periculum est subeundum: prætergressus tamen diametrum, sanus seruabitur. Si autem Mercurius solus prędicto scopo (lunę scilicet cum Saturno, ita ut diximus situatæ)

ſchema ſuum addiderit, citra illum dubium morietur. Si uero Mercurius una cum Marte ignito, hos tu redemptores magis quàm interemptores cenſeto: tua porrò intererit omnem prudentiam ac ſolertiam infirmo adhibere, quum te nõ lateat Saturnum efficere affectiones frigidas & reumaticas. At uero ſi Mars dederit ſchema, præſertim diametrum lunæ motu etiam & lumine augeſcenti, hos faciet capitis affectus, alienationes mentis, phrenitidas, irę impetus, phlegmonas, accenſiones, inſultus ſanguinis. Oportebit igitur in omnibus iis adhibere ea quæ refrigerandi & remittendi poteſtatem habent, hisq́; utendum maxime circa tetragonum, à tetragono enim trium dierum ſpacio incipiet uigere magnitudo morbi: futuri autem ſunt uſque ad incepti à luna curſus diametrum periculoſiſſimi & acutiſſimi affectus. Si autem huic ſcopo (lunæ ſcilicet cum Marte in eo, ut diximus, ſitu repoſitæ) Mercurius etiam ſuum ſchema adiunxit, poſt exacta tanta pericula infirmus ſanabitur, Mercurius enim Marti probè congruit, Saturno minime. Quod ſi decumbat aliquis, luna aut

tem ſit in ſchemate Iouis aut Mercurij & Veneris, etſi pro utriuſque planetæ natura, inæquales eſt factura ægritudines, & in diuerſos affectus infirmos translatura, proculdubio tamen ſanantur. Operæprecium autem erit te animaduertere rationem uictus, horas, exercitia, balnea, potus uini: & ſi quidem ad Saturnum pertinent, qui ægritudine afflicti ſunt, tenebuntur deſiderio balneorum, ſeſſionis quietæ, frequentis nutrimenti, calidæ potionis: qui autem Martem attinent, frigidæ potionis, motus, uini, inquietudinis. Vtile eſt igitur te iuxta ſingulos planetas, ſuo cuique modo deſiderio non aduerſari: quælibet enim ſtella cuius rei deſiderio tenetur, eadẽ reficitur recreaturq;. Non arbitraberis autem Aphrodiſi optime (ut ego opinor) curas eiuſmodi contrarias eſſe rationibus medicorum: ego enim qui bene naturas ſtellarũ cognitas habeo, dixi quibus quæque rebus delectetur, ubi fuerit ab omni noxa ac uitio aliena. Si autem dum luna eſt in ☌ ſolis decumbat aliquis, Saturnus autem in tetragono ſit aut diametro, aut etiam lunam præſens adeat, quæ lumen & motum ſuum

De planetis loquitur qui ſunt domini geniture.

De conualeſcẽtibus hic ſermo eſt.

diminuat, erit morbus quo ad originem, ex cra- pula, & diuersitate ciborum ac multitudine: fu- turæ autem sunt febres cum astrictione alui, in- flammationes hypochondriorum, articulorum dolores, pulsus retracti, ac inordinate totius cor poris supercalefactio, circa pulmonem autem & sinistrum latus, erit sensus grauitatis: huic au xilio erit subtractio sanguinis, ac usus eorum omnium quæ habitum corporis soluere possunt. Quod si nemo ex beneuolis lunam protegit, om nino diametrum uiuus non supergredietur: imò si & Mars idem schema quod sol habuerit, aut ex diametro lunam aspexerit, supra primum in cepti cursus tetragonum non uiuet. At si bene- uoli adfuerint, & lunam inspexerint, periclita- tus sanabitur.

De schematibus lunæ in tauro.

Si quispiam decumbat luna existente in tau- ro, maxime hora diei, sol autem lunę offerat dia metrum, aut tetragonum, erit morbus ex multi- tudine sanguinis, aderit astrictio alui, aderunt accensiones, dolores colli & circa ossa, super- flua uigilia, desiderium rerum frigidarum & ui

ni: huic sanguinis detractio plurimum conducet, atque ea omnia utilia erunt quæ uim aperiendi habent. Saturno autem idem schema quod sol habente, si nullus beneuolus protegit, diem XI non transiget: si autem beneuoli præsentes adsunt aut schemata porrigunt, post exacta pericula uigesimo die sanabitur. Si autem luna, ut diximus, posita in tauro, decumbat aliquis, motus autem lunæ & lumen minuitur, ad hæc Saturnus quocunque tandem in schemate reponatur, præsertim si & ☿ pariter schemate continuatur, affectus ægritudinum iuxta signi propriam naturam erunt tardi motu, difficiles cognitu, quos crederes absentes esse, quum tamen ægrotum affligunt: aderit uirium prostratio, ac totius corpopis debilitas, stomachus appetitu priuatur, calor in profundo latet, articulorum dolores incessunt, totum corpus malum habet. Hæc autem ego tibi in omni zodiaci signo indicia propono, ut dum aliquod horum se tibi obtulerit, circa infirmum dubius non hæreas. Signum autem hoc natura sua tempestates ac uentos concitat, ac eorum quæ in mari & terra eueniunt in-

dicia facit, idcirco oportebit te præcipuam capitis curam habere, hoc enim est quod primam morbi causam contraxit, quamuis hoc ita non appareat: totum neruosum genus compatitur, præter cætera stomachus: pulsus profundi ac reptantis formicę speciem præ se ferentes, pręsertim de die: propterea utilissimum quidem erit infirmum nutrire: nō tamen tu pusillanimis subtractionem sanguinis uereare (licet id nimiam subinde debilitatem inducat) neque subductionem alui, nec alia quæ euacuant. A tetragono autem incepti cursus usque ad diametrum ęger diligentius est obseruandus: & si quidem postea quam coniunctionem solis euaserit meliora indicia luna ostendit, soluetur morbus in diametro: si autem euadens coniunctionem peius indicat, maxime si tempore cœpti decubitus nullus ex beneuolis protexit, ultra diametrum non superuiuet. Si autem decumbat aliquis existēte in tauro luna, cum schemate Martis (præsertim ubi luna est amphicirta) augens motus suos, causa morbi erit circa collum & hypochondria, idque ex ingurgitatione ac cibo nimio: febres aderunt

Species lunæ X dies natæ amphicirta est.

urentes, alui astrictiones, asperitas linguę, amaritudo oris, sitis nimia: ipsi autem ægroti oculis torui, truces aspectu, sermone audacissimi, qui aduersus suos facile irritantur ac exiliunt. Oportet igitur summam diligentiam strictæ aluo & eductioni sanguinis adhibere, neque desiderio frigidæ potionis eorum multum aduersari: morbi ipsi à principio quinque dierum spacio acutiores erunt: uigebunt usque ad septimam. Hic autem ad alia te esse etiam attentum oportet: si enim conspexeris ♌ in quarta: scias ægrum procliuem & aptum esse cardiacæ passioni: ideo fac ut omni hora totius septimanæ accuratus sis, ut citra incommodum uinum exhibeas, & frigida alia: si autem transacta septimana æger in deterius labitur, ultimum illi uale dicito, proculdubio enim obibit. In huiusmodi uero indicationibus oportebit te & horarum aptitudinem inquirere, id quod fiet si repereris horas eas quibus schemata beneuolorum prodeunt: hæ tibi plurimum conferent tam in nutriendo quàm in lauando & exhibendo potu: si enim hora bonorum schematum cibus offeratur (licet hoc dictis

medicorum nonnihil repugnare uideatur) plurimum conferet infirmo. Quod si lunæ in illo quē diximus loco residenti ♃ aut ♀ aut ☿ schemata dederint, siue ipsa motum augeat siue minuat, certum salutis in diametro affuturæ indicium tibi esto: quare citra exhibitionem aliorum sola attenuante diæta utere.

De schematibus lunæ in geminis.

Si quis decumbit existente in geminis luna, cui adsit præsens ♄ uel schema diametrum aut tetragonum offerat, causa prima morbi erit ex nimiis laboribus, uigiliis, & maxime ex itineribus. Quod si tum luna motum & lumen augeat, locus affectus erit manifestus, morbus breui seipsum declarat: augeri uero incipiet à die tertia usque ad XX. erunt enim leuiusculæ febres, & macies quæ per nocturnos assiduosque labores exinanito sanguine contracta est: aderunt & splenis grauitates. Vbi autem ex beneuolis nullus protexerit, Mars autem idem quod Saturnus schema habuerit, post diem trigesimum obibit. Si uero boni præsentes adfuerint, aut lunam inspexerint, chronicis ac periodicis morbis deten-

tus tandem sanabitur. Si autem decumbat ali-
quis in geminis luna existente, cui tetragonum
uel diametrum Mars offerat, uel presens apud
eam sit, augescente eius lumine & motu, mor-
bus incurret periculosus & molestissimus: erũt
enim febres continuæ, adstrictiones alui, ustio-
nes magnę, pulsus retracti ac inordinati: huic
igitur competet sanguinis detractio: & si ex be
neuolis nullus lunam protegit, Saturno idem
quod Mars schema obtinente, morietur in dia-
metro: si uero beneuolus aliquis lunam intuea-
tur, post tanta pericula seruabitur. Si decumbat
aliquis in geminis luna existente, præincipien-
tes causæ morbi erunt labores & balnea: mor-
bus autem qualibet humiditate exaggeratur ma
gis. Quod si Saturnus unà cum Mercurio sche
mata adijciant, maxime luna diminutis gradibus
abscedente à sole, erunt dolores circa opertas
scoptulas & lumbos, totum corpus calet, & ad
similitudinem ambustorum in superficie dolet:
huic inutile fuerit si de uno loco ad alterũ trans-
feratur, id quod ipse optabit: aduersatur illi &
frigida quęcunque potio usque ad septimam. Si
autem

autem luna incidens in solis coniunctionem, in minores motus progrediatur, sine dubio morietur. Quod si prædicto scopo lunę scilicet cum Saturno & Mercurio, ita, ut diximus, positæ, accedet tempore cœpti decubitus schema alicuius beneuoli, infirmi ipsi ab alijs ad alia mala transferentur, in ischiases, & id genus alios articulorum dolores. Quantitas temporis morborum ostendetur ex coniunctione lunæ, id est, accessione ad stellas beneuolas, quæ infirmos redimunt. Hanc autem rationem & in alijs omnibus signis obserues. Non ignores & illud, quod in quodcunque signum luna intrauerit, illic imperium habet. Scito & hoc, quod planetæ quando sunt diametrum lunæ porrecturi, facile ipsimet hoc indicant. Si autem luna, ita ut in priore exemplo dictum est, in geminis existēte, tempore cœpti decubitus Mars aut sol aut uterque simul schemata sua porrigant (præsertim si luna sit amphicirta) ipsa uero luna in maiorem motum fertur, æger ita omnino sibi persuadebit, ut credat se certò moriturum: proinde lamentabitur, flebit ac tristabitur, in loquēdo erit prom

ptus & audax, diuersas simulacrorum seu phantasmatum species ante oculos cernet, quæ omnia illi sunt ad morbum, augent enim illum & deteriorem reddunt: de die autem & stomachi debilitas incurrit, & panniculorum capitis dolores inuadunt, ita ut infirmi dissoluantur, & pulsuum motu penè careant. Oportet igitur fomẽtandi resoluendique diligentem curam habere, sanguinem detrahere, ac cibos opportune exhibere. Ex coniunctione autem solis cognosces, sitne futura morbi solutio: & si malum stomachi prosperius tibi apparebit, & panniculorum capitis dolores abscedent, sanabuntur sine dubio infirmi. At uero si à diametro morbus in maius augetur, & tabes uentriculo inuecta fuerit, citra ullum dubium peribunt: maioribus autem auxilijs quę apud medicos in usu sunt opus esset. Si autem ad signum hoc geminorum tempore decubitus incepti, beneuolæ stellæ schemata porrigunt, siue luna motum augeat siue minuat, medicatione opus non erit: diæta enim, aere bono, balneis, deambulationibus, exercitationibus, morbus abigetur: aliquando etiam in tetragono

infirmi liberantur.

De schematibus lunæ in cancro.

Si decumbat quispiam luna in cancro existente, cui Saturnus uel præsens iungatur, uel porrigat diametrum aut tetragonum, erit morbi prima causa balneum & refrigeratio: aderit fluxus ad thoracem, aderunt tusses, aderunt constipationes, febres non uiolentæ, sed tamen malignę, pulsus parui ac debiles, grauitas in lateribus. Huic congruunt omnia quę calefaciendi uim habent. Si uero ex beneuolis nemo lunam intuetur, longiore ægritudine detentus post diem quadragesimam obibit: at si beneuolus aliquis lunam inspicit, plurima mala perpessus tandem sanabitur. Si autem decumbat aliquis luna in cancro existente, cui Mars aut pręsens iungatur, aut tetragonum siue diametrum obijciat, erit prima morbi origo ex nimio uomitu, ac ea agitatione quam choleram uocant, aut uentriculi subuersione. Huic igitur congruunt ea quæ constringunt & refrigerant. Quod si ex beneuolis nemo lunam inspicit, ad primum tetragonum incepti cursus obibit: si uero beneuolus aliquis

aſpiciat, in primo incepti curſus tetragono ſana bitur. Si autem decumbat aliquis luna exiſtente in cancro, erit morbus ex repletione uini & ingurgitatione: incoabitur autem à commotione diſtenſioneque membrorum affectorum: æger interrogatus bene morbum ediſſeret. Erit autem aliquando ex uomitu etiam citra repletionem: æger male de ſe ſperabit afflictus dolore laterum, optabit aeri frigido ſemper exponi, quapropter & ueſtes dilacerat. Sæpius autem & coli dolores incurrunt, maxime tranſacta diametro: proin oportebit non ſolum à frigidis abſtinere, ſed etiam adhibere ea quæ reſoluant & confortent, præſertim in principio. Si autem luna non ſit immunis, ſed Martis aut ſolis aut utriuſque aliquo ſchemate opprimatur, febres aſſurgunt augenturque, pulſus ſunt inæquales, nunc debiles, nunc firmi. Confert autem huic ſanguinis detractio facta in tempore: à principio enim quinque dierum ſpacio uſque ad incepti curſus partem C C. comitabuntur affectum laterum diuerſa & praua accidentia. Quod ſi nemo beneuolorum protegit, futurum eſt ut à con

iunctione solis neruosum genus male afficiatur, ita ut capti tandem mente uociferent & acclamenti: iuxta autem naturam signi huius mala de nocte magis affligunt. Si autem à coniunctione solis luna motu diminuto se est redemptura, nō priuata presidio bonorum, æger in morbum periodicum decidet ac sanabitur. Quod si luna bonorum præsidio priuetur, iuncta communioni malorum, nihilominus & in periodico morbo obibit. Si uero prædicto scopo nemo medius obuenerit, luna uero à coniunctione solis motum diminuat, post diametrum sanabitur: at si à coniunctione motum augeat, medius uero intercessit maleuolus Saturnus, subibit tot pericula, post diametrum tamen sanabitur. Porrò natura huius signi est ut malignos & difficile solubiles morbos adferat, quibus ea remedia & curę quas crederes multum profuturas, magis nocebunt. Vtilis autem est uini exhibitio, balneum, & cibus qui facile in corpus digeritur. Si uero Saturnus lunæ à coniunctione exeunti unà cum Mercurio schemata obijciat, auferentur morbi quoscunque tandem modo, sed relinquuntur dolores

articulorum, & earum partium quę circa aures sunt. Nonnullis autem circa pulmonem aut hepar aliquid mali remanet, eritque diuturnum & longum. Aduerte autem si in his schematibus luna minuat motũ: hoc pacto enim faciet id quod reliquum est mali non solum longo tempore duraturum, sed mortem etiam allaturum. Si uero motum augeat & lumen, ♃ autem quocunque modo illi adhæreat, malum relictum tantisper durabit quoad luna peruenerit in decimum ab incepto cursu signum. Quando autem luna in cancro existens bonorum tantum schemata habet, aut etiam ipsius Mercurij, soluuntur morbi ad primum incepti cursus tetragonum: oportebit uero abstinere à frequenti balneo, exercitijs autem uti & deambulationibus, ita enim morbis bene consuletur.

De schematibus lunæ in Leone.

Si quis decumbat luna existente in Leone, cui sol diametrum aut tetragonum porrigit, prima morbi origo erit ex repletione & cruditate: aderunt grauitates thoracis & hypochondriorum, aderunt febres, quarum calor maior erit

in profundo quàm in superficie corporis, aderit astricta aluus. Huic congruent omnia quę calefaciunt modice & aperiunt. Quod si nullus ex beneuolis lunam inspicit, circa diametrum morietur: si uero boni lunam inspiciunt, plurima mala perpessus tandem sanabitur. Si autem decumbat aliquis in Leone luna existente, cui Mars uel præsens iungitur, uel diametrum aut tetragonum porrigit, erit prima morbi origo ex nimia plenitudine sanguinis: febres aderunt cum fluxibus alui, pulsus debiles at submersi, defectus animi, lapsus appetitus grauitas, somnolentia, & languor totius corporis, immò & cardiaca aliquando. huic congruent ea quę constringunt ac modicè refrigerant. Quod si nullus ex beneuolis lunam aspicit, die nona morietur: si uero boni aspiciunt, plurimum periclitatus, post diametrum sanabitur. Si autem decumbat aliquis luna existente in quacunque parte Leonis (hoc autem quod dicam & circa alia signa certum, ac ueluti Themistos consilio proditum obserues) Leone horoscopum occupante, morbus erit ex demacratione membrorum, per tri

ſtitiam, per negotia, ſolicitudines: thorax calefiet, extrema autem frigeſcent, adſunt & capitis dolores, oculi caui, naſus retortus, pulſus inſenſibiles: ægroti quaſi longis detenti ſint ægritudinibus, ita apparent corpore deiecti: tenduntur autem quantum eſt ex eorum plenitudine. Quare oportet confeſtim ſanguinem detrahere, & ſi fieri poteſt, luna in hoc eodem ſigno adhuc exiſtente, præſertim ſi motum ſuum auget: ſin minus, intra tertium diem. Fricare autem oportet extrema, & reſoluere ea quæ thoraci incumbunt. Si autem Mars ſimul & ſol uterque aucto motu, ſchemata porrigant, tempore cœpti decubitus, lunæ, cardiacam nullo modo infirmus euadet, infra quintum diem. Si autem Saturnus ſchema porrigat lunæ, non eſt adeò timendum ut moriatur. Si uero Iupiter aut Venus ſchemata lunæ porrigunt tempore cœpti decubitus, ſpes eſt firmiſſima ſalutis circa tetragonum incepti curſus affuturæ. Si autem ipſa luna ſola, citra ullum ſchema, motu diminuta in Leone ſit, etiam ſpes firma ſalutis. Proderit autē ægroto exhibitio uini, balneum, deambulatio, preſertim

tim

tim post tertiam aut post quintam. Si autem lu-
na in Leone, ut diximus, sit tempore cœpti de-
cubitus, augeatq; motum, Saturnus uero in me-
dio cœli constitutus suum schema illi porrigat,
futurum est id quod diximus circa tetragonum:
nihilominus tamen uentris dolores & inflatio-
nes remanebunt, etiam si præsens adsit aliquis
ex beneuolis: sanantur tamen, idq; tanto citius
si Luna à coniunctione motu aucto currat. Si
uero lunę in Leone existenti tempore cœpti de
cubitus ♄ & ♂ & alius quicunq; schemata
obijciat, ipsa uero Aquilonem uersus egredi-
tur, soluentur morbi omnino adueniente cursus
incepti diametro. Non oportebit uero calefa-
cientibus uti, sed ægrum in umbra decumbe-
re: utile autem erit eius desiderio plurimum
aduersari, frigida exhibere, cibos offerre qui
nec inflēt nec attollant. Si autem luna à nemine
aspiciatur, auget uero motum, futurum est ut
circa diametrum datis signis criseos morbus
soluatur: at si motum minuit, auferet aliquid
morbi circa coniunctionem solis: faciet tamen
ut æger sæpius recidiuam perpessus longius

affligatur, ſalubriter tamen.

De ſchematibus lunæ in Virgine.

Si quis decumbat exiſtente in Virgine luna, cui Saturnus uel præſens iungatur, uel tetragonum aut diametrum porrigat, erit prima morbi cauſa, deſidia & cruditas, dolor erit in uentriculo & inteſtinis, phlegmone in hypochondrijs, aderit febris cum alui aſtrictione, quæ nõ ſeruabit ordinem remiſſionũ & afflictionum: pulſus erunt profundi, frequentes & debiles. huic congruent ea que modice calefaciendo aperiunt. Quod ſi beneuoli lunam non aſpiciant, circa diem quadrageſimam in ſummo periculo reponetur: ſi uero boni aſpiciunt, longam ęgritudinem perpeſſus tandem ſanabitur. Si autem decumbat aliquis exiſtente in Virgine luna, cui Mars uel præſens adſit, uel tetragonum aut diametrum porrigat, erit morbus qui à fluxu uentris incipiet, quem ſubſequetur dyſenteria, ita ut ſanguis fluat, & excorientur inteſtina exulcerẽturque: aderunt febres malignæ, pulſus debiles ad frequentes, caſus appetitus, ſubuerſio ſtomachi. huic congruent ea quæ adſtringendi uim ha-

bent: & nisi lunam boni aspiciant, morietur die trigesima: si uero boni aspiciant, sanabitur. Si uero decumbat aliquis existente in Virgine luna, erit morbus quem cœliacam uocant passionem, aderunt dolores uentris & inflationes, quæ à læsa coctione originem sument: ea quæ uenter excernet fluida erunt: quę autem uesica, uiridia ac male olentia: aderunt punctiones in septo transuerso, & uentriculo iam debili, compatietur totum neruosum genus: oculi erunt aperti ac uigilantes, præsertim à principio. Si autem luna ex paruo motu in maiore prouehitur, Mars autem aut Mercurius & sol schemata illi porrigunt, timendum erit ne nimium exasperato malo infirmus in insaniam decidat: necesse uero erit adhibere ea quæ ingrossandi inspissandique uim habeant: uitanda erunt omnia fluida, frigida, uuida: tanto autem hæc uitanda magis, quanto in maiorem motum luna uehitur: circa diametrum enim suspicio erit cœliacæ & dysenteriæ, quæ mala si semel corripiant hominem, longo tempore minutim abscedunt. Si autem lunæ in Virgine, ut diximus, existenti Saturnus

cum Mercurio aut Venere aut Ioue schemata porrigat, nihil minus futura est longi temporis ægritudo, splenetica aut nephritica: quæ mala abscedent quidem, sed longo tempore affligunt. Si autem luna tempore cœpti decubitus sola sit, à nemine inspiciatur siue augeat motum siue minuat, futuræ sunt hæmorrhoidum fluxiones, quas luna circumactis usque aliquot reuolutionibus auferet: infirmi erunt liuidi, atri per longum tempus, sanantur tamen. Si autem tempore cœpti decubitus Iupiter aut Venus aut Mercurius siue horum aliquis, siue omnes lunę schemata porrigant, non minus adsunt fluxus uentris, desinunt tamen circa diem quintam. Oportet autem uinum quidem exhibere, sed balneum subterfugere.

De schematibus lunæ in Libra.

Si decumbat aliquis in ♎ existente luna, cui Saturnus uel præsens iungatur, uel tetragonum aut diametrum porrigat, erit prima morbi origo ex nimia uini potatione & crapula. Quod si luna minuat motum suum, decubitus autem primum noctu incipiat, futuri sunt affectus mali ca

pitis & thoracis, reumatismi, tusses, præsertim à principio, grauedo capitis, casus appetitus, febres continuæ, quæ nullum ordinem afflictionũ seruabunt, pulsus erunt frequentes & debiles. huic igitur congruunt ea quæ calefaciant. Si tamen una cum Marte Saturnus schemata porrigat, citra ullum dubium morietur, ueniente diametro. Si autem decumbat aliquis existente in ♎ luna, cui Mars uel præsens iungatur, uel diametrum aut tetragonum porrigat, erit morbus ex nimia sanguinis copia, erunt febres continuò crescentes, pulsus retracti, defectus animi, phrenitis, superflua uigilia, totius corporis inflammatio. huic congruet sanguinis detractio, & ea omnia quæ soluunt habitum corporis. Quod si nullus ex beneuolis protegit, infra X dies morietur: si uero boni aspiciunt, circa diametrũ summum perpessus periculum sanabitur. Si autem decumbat aliquis existente in ♎ luna, diffundetur materia morbi in membra extrema, quæ inflammabuntur & dolebunt, calor tamen erit in profundo maior, æger oculos continuò occludet, quum tamen non dormiat, deijcietur illi appeti-

tus. Tales igitur ſunt iuxta ſigni huius natu-ram affectus, in quibus cognoſcendis multi er-rant: putant enim ea accidentia ex cibis quos in-ſcijs medicis ægroti accipiunt, prouenisſe. Si au-tem ipſi lunæ minuenti motus ſuos Saturnus & Venus, aut ☿ aut uterque accedit, omnino cir-ca diametrum in phrenitim incidet: proinde fo-mentis utere, & ijs quæ reſoluunt: infirmum au tem in ſecretiorem locum abſconde, & in ſolitu dine diligenter obſerua, ne clanculo aquam bi-bat: futurum enim eſt ut circa diametrum excre tione alui facta à morbo redimatur, uſus ijs quę diximus remedijs: ſed tamē ad diuturnos inæqua les & periodicos morbos reddetur procliuis, à quibus tamen redimitur: at uero ſi ſolus adeſt lunæ Saturnus, peribit, niſi luna motum augeat: ſic enim plurima in principio & augmento mor-bi perpesſus circa diametrum ſanatur. Si uero exiſtenti in ♎ lunæ Mars & Sol ſchemata obij-ciunt, erunt cauſæ morborum in capite, quæ fa cient cephalalgias, reumatiſmos, hemicranias. Si uero Mercurius adfuerit, materia morbi erit in oculis, quæ facient ſuffuſiones, dilatatio-

nes pupillæ, glaucoses. Utile est autem ut plurimum in ijs malis sanguinem subtrahere: utiles sunt & alui excretiones: ne tamen promittas cito salutem infirmis affuturam, longum enim tempus in iis malis sunt absumpturi nõ sine magno discrimine. Si autem lunæ in ♎ existenti, Iupiter aut Venus schemata porrigat, sanantur infirmi aliquousque male detenti. Si autem nemo se lunæ offerat, nec aliquis eam aspiciat, ipsa uero motus suos minuit, futuri sunt morbi maligni & difficiles cognitu, præsertim in oculis, sed tamen ueniente luna ad diametrum soluuntur. Scito autem omnia ea signa quæ in tropicis & æquinoctiali sita sunt, malignos semper producere morbos.

De schematibus lunæ in Scorpione.

Si decumbat aliquis existente in scorpione luna, cui præsens iungatur Saturnus, uel tetragonum aut diametrum obijciat, erit origo morbi ab inflammatione inguinum & locorum profundorum, circa anum & pudenda. Quod si luna motus suos augeat & lumen, beneuolique illam aspiciant, reditus ad sanitatem erit facilis.

Si uero decumbat aliquis existente in Scorpio-
ne luna, cui Mars præsens iungatur, uel tetrago
num aut diametrum porrigat, ipsa uero motus
suos minuit & lumen, schemata beneuolorum
retinens, redibit ad sanitatem, ultra uel citra te-
tragonum aut diametrum: hoc enim in singulis
signis beneuoli faciunt, ut iam nostri: reddunt
enim morbos mitiores & ad curandum facilio-
res. Si uero decumbat aliquis existente in Scor-
pione luna, origo prima morbi erit ira & conté-
tio siue iurgia, inflammabuntur loca in abdomi
ne circa sedem aut uesicam, febres à die tertia
increscent & augebũtur, infirmus autem desipi
ens factus, exasperabit mala sua. Si autem luna
in hoc signo auget motus suos, præsertim ab ☍,
Mars uero ipsi præsens adest periculum est læ
sionis per ferrum quoquo modo occulto. Si au-
tem & Sol præsens adest, aut schemata porrigit
lunę suos motus augenti, (id quod fit quando ip
sa secundum longitudinem sui cursus quinde-
cim partes percurrit,) periculum erit aposte-
matis pleuretici, iudicantur autem & liberantur
infirmi fluxu sanguinis. Oportet autem in secre

tiore

tiore loco infirmum ſeruare, abſtinere uero ab omni frigidorum uſu, à lotionibus, malagmatibus frigidis, balneis, extractionibus ſanguinis per cucurbitulas: morbo autem ad diem undecimum protracto, itur tandem in diuturnum malum in quo non minus eſt periculum. Si autem decumbat aliquis in ♍ luna exiſtẽte, cui Iupiter uel ♀ adſit pręſens, uel ſchema porrigat, erunt eadem mala quæ diximus, ſed ſalubriora, à quibus tamen non liberatur niſi longo tempore: longitudo autem temporis aut numerus dierum durationis morbi cognoſcetur ex connexione lunæ cum ſtellis beneuolis: donec enim uel ipſi planetæ præſentes boni, uel eorum ſchemata non acceſſerint, morbi uigent, ſuamque uim obtinent: ſtatum tamen ac ueluti præfinitum tempus ęgritudinis eſt ad diem diametri, ultra quam ſi morbus protrahatur, fit chronicus, & longus. Si autem decumbat aliquis luna in Scorpione exiſtente, uergenteque ad ſolis coniunctionem motu diminuto, cui Saturnus uel præſens iungitur uel ſchema porrigit, defatigabitur plurimum infirmus & labefactabitur longitudine morbi, qui

erit defluxus ad inferiora loca, anum ſcilicet aut pudenda: & niſi beneuolus aliquis protegat, ſic commorietur. At uero ſi luna motu aucto progreditur, Saturnus autem illi aut iungitur præſens, aut ſchema porrigit, futura ſunt eadem mala, ſed minus periculoſa, tamen chronica & diuturna. Natura autem ſigni huius exigit, ut uitetur uſus balneorum, ac eorum omnium quæ humores fundunt & defluere faciunt.

De ſchematibus lunæ in Sagittario.

Si decumbat aliquis exiſtente in Sagittario luna, cui Saturnus præſens iungatur, aut tetragonum uel diametrum obijciat, morbus incipiet à fluxu ſubtilium tenuiumque reumatum, aderunt dolores articulorum, aderunt adſtrictiones alui, febres, quarum acceſſiones erunt cum rigore & frigiditate extremorum. Quando igitur luna ſuum lumen & motum maxime minuet, erunt tum acceſſiones febrium duplices, erunt conſtipationes multæ, pulſus profundi: huic igitur congruent ea quæ calefaciendo aperiunt: niſi uero beneuoli aſpiciant, futurum eſt ut magna pericula ſubeat, ſanatur tamẽ trãſcurſa dia

metro. Si uero decumbat aliquis existente in Sagittario luna, cui Mars præsens iungatur uel tetragonum aut diametrum obyciat, luna uero auget lumen suum & motum, erit ægritudo summi periculi, cuius origo est repletio & crapula, futuræ sunt febres continuæ, quæ magis ac magis inualescunt, erunt cholericæ passiones, soluta aluus, pulsus debilis. Congruent huic ea quæ refrigerant & constringunt. Quod si maleuoli lunam inspiciunt, septima morietur: si uero beneuolus aliquis inspicit, sanatur, transcursa diametro, sed non sine periculo. Si uero decumbat aliquis luna in Sagittario existente, morbus est qui ortum accepit à balneo & aere frigido, totum corpus fluxu reumatum corripitur, adsunt dolores gingiuarum & dentium: præincipiens autem morbi causa in thorace est. Si autem lunæ accidenti motu diminuto ad solem præsentes iungũtur, aut schemata obyciunt ♄ & ☿, futuræ sunt inflammationes pulmonis & septi transuersi, totum corpus supercalefit: oportet autem adhibere ea maxime quæ resoluunt & exiccant: utilis erit præsertim à principio detractio sanguinis.

Quod ſi luna tranſgreſſa prius tredecim par-
tes, nunc decimamquartam tranſgreditur, quin-
ta die morietur. Si autem tempore decubitus lu-
næ exiſtenti in Sagittario ♃ aut ♀ iunguntur,
uel ſchemata porrigunt, futura quidem ſunt ea,
quæ diximus, mala, ſed erunt ſalubriora. Si ue-
ro luna nemini iungatur, nec aſpiciatur à quopi-
am, motum autem ſuum auget, ſalubriora quo-
que mala accidunt. At uero ſi Mars & Sol lu-
næ augenti ſuos motus ſchamata obijciant, ſu-
pra mala prędicta tuſſes uehementiſſimæ ſuper
uenient. Natura autem ſigni huius eſt, ut ægro-
tis uigilias incutiat continuas, & noctu maiorē
afflictionem quàm de die cōmoueat, unde adeò
debilitantur infirmi, ut uix pulſus eorum perci-
pere poſſis: neceſſe uero erit uti ijs quæ reſol-
uuntur & modicè calefaciunt: fugere autem bal
nea, lotiones, humectationem denique omnem:
æger uero in obſcuro ſub umbra decumbat, qui
ſpem ſalutis certam habeat ſi boni lunam aſpici
unt. Quod ſi unus tantum ex beneuolis protegat
inſpiciendo lunam, plus quidem exaſperantur
mala, ſpes tamen eſt certa ſalutis poſt pericula.

De schematibus lunæ in Capricorno.

Si quis decumbat luna in Capricorno existente, & minuente suum motum, cui ♄ præsens iungatur, uel tetragonum aut diametrum obyciat, origo morbi est refrigeratio in balneis, adsunt tenuia reumata, grauitas thoracis, & pulmonis, tussis præsertim à principio, febres quarum accessiones ueniunt cum rigore, idque magis noctu. huic congruent ea quæ calefaciant, & nisi bonus aliquis lunam aspiciat, die uigesimo primo morietur: si uero boni aspiciunt, sanabitur, longam pulmonis ægritudinem perpessus. Si decumbat aliquis in Capricorno luna existente, cui præsens iungatur Mars, aut diametrum uel tetragonum obyciat, morbus erit qui originem traxit à lesa coctione, quam subsequitur uomitus & cholera: morbus equidem periculosus & acutus: comitabuntur illum neruorum distensiones, inflammationes, bilis mordax in intestinis & ano. huic congruent ea quæ refrigerent & constringãt: nisi uero bonus aliqs tũ aspiciat, die quinta aut septima morietur: si uero beneuolus aliqs aspiciat, sanatur infra septimã. Si decũ-

bat aliqs luna existēte in Capricorno, causa pręincipiens morbi, erit labor & inanitio: erunt autem dolores potissimum in dorso, incurrent horrores sæpius, ita ut bis terque breui spacio temporis accessiones suas faciant: eriguntur pili totius corporis, febres sunt cum aluo adstricta, & dissoluta debilique uirtutē. Hæc ego multa tibi ea de causa adduco, ut tu habitis ijs indicijs, morbos certioribus notis dignoscat. Tanto uero debiliores infirmi redduntur, quanto luna motus suos magis diminuit: uidebis ægrotum delirare in loquendo, oculos raro sursum attollere. Quod si circa incepti cursus diametrum Saturnus lunæ iungatur uel schema obijciat, reponetur eo tempore in summo discrimine infirmus, idque ob uiolentiam & afflictionem nimiam febris. Quod si tum aliquis ex beneuolis protegat, liberatur, sed lōgo tempore afflictus. Si uero Mars aut Sol unà simul schemata porrigat, transmutabitur morbus, fietque periodicus. At uero si luna motum suum augeat, pręsens uero illi circa incepti cursus diametrum adsit ♄ aut Sol, ut diximus, futurus est morbus periculosior. Si au-

tem lunę in Capricorno exiſtenti ♃ aut ♀ aut ☿ ſiue horum aliquis, ſiue omnes pręſentes iungatur, aut ſchemata porrigant, cauſa morbi eadem eſt quam diximus, ſed morbus fit omnino ſalubris. Animaduerte autem naturam ſigni huius, cuius proprium eſt periculoſa inferre ęgritudines. Oportebit uero abſtinere à balneis, & ab omni frigidorũ uſu, decumbere uero in ſublimi & alto loco. Expediet & exercitia, ſi fieri poteſt, infirmis iniungere.

De ſchematibus lunæ in Aquario.

Si quis decumbat exiſtente in ♒ luna, cui augmentanti lumen ſuum & motum Saturnus præſens iungatur, uel diametrum aut tetragonum abijciat, origo morbi eſt, labores, uigiliæ, aut itinera: non ſeruabitur autem ęqualitas morbi in augendo & diminuẽdo. Quod ſi bonus quiſpiam lunam aſpicit, ſanitas redit circa incepti curſus diametrum. Si uero decumbat aliquis in ♒ luna exiſtente, cui minuenti motum ſuum & lumen Mars præſens iungitur, aut diametrum uel tetragonum obijcit, cauſa præincipiens morbi eſt in inguinibus, aut in cruribus, aut in puden

dis:futuræ ſunt febres urentes, continuè, & creſcentes continuò, extrema tamen membra magis quàm cætera inflammantur incurrit ſitis, inquietudo, ita ut ægroti in eodem loco non permaneat, ſed crebrò exurgant: adeſt deſiderium frigidæ potionis. Si uero lunæ augmentanti ſuos motus præſens Mars iungitur, aut aliquod ſchema obijcit, futurum eſt ut infirmus circa incepti curſus tetragonum animo delinquat. Congruent uero huic ſubtractiones ſanguinis: nec oportebit nimium ſe opponere eorum deſiderio ad potionem frigidam, neque in lucido loco decumbere. Quod ſi circa tetragonum morbo nihil decedat, morietur in diametro. Si autem lunæ in Aquario exiſtenti ♃ aut ♀ ſiue uterque eorũ, ſiue alter ex iis ſchemata porrigat, luna uero ſuos motus minuit, ſanatur circa diametrum. Si autem lunę minuenti ſuos motus Saturnus ſchemata obijciat, aut etiam Mercurius, ijdem ſunt futuri affectus quos antè diximus: ſupra illos tamen accedunt & reumata, & fluxus diuerſi ad inferiora membra. Periculum etiam erit ne infirmus in hydropem decidat: certum autem eſt

quod

quod long o tempore affligetur. At uero si luna tempore cœpti decubitus motum suum medium non excedit, sanitas quidē est affutura, sed tarde.

De schematibus lunæ in Piscibus.

Si quis decumbat existentem in ♓ luna, cui minuenti suum lumen & motum Saturnus præsens iungatur, aut diametrum uel tetragonum obijciat, morbi prima origo erit refrigeratio ex balneis, quam subsequentur tenuia reumata, stipabuntur extrema, febres accedent cum rigore, quarum accessiones erunt duplices: erit dolor capitis, punctiones ad thoracem, grauitates in hyponchondriis & articulis, pulsus profundi & debiles. huic igitur congruente ea quæ calefaciant, & stipata aperiant. Quod si beneuolus aliquis lunam inspicit, sanatur circa diametrum, remanent tamen diuturni articulorum dolores. Si decumbat aliquis luna in ♓ existente, cui augmentandi suum lumen & motum Mars præsens iungatur, aut diametrū uel tetragonū obijciat, origo morbi est à nimia uini potatione & cruditate, morbus autē à die tertia uigorē maiorem accipiet: afflictiones erunt noctu maiores, succe

dent uſtiones nimiæ in thoracem, delirium, phrenitis, dolor capitis, ſitis, deſiderium uini, pulſus retrahentur. Huic congruente ea omnia quę habitum corporis ſoluunt, pręcipue tamen detractio ſanguinis: & niſi bonus aliquis lunam aſpiciat, circa primum incepti curſus tetragonum morietur: quod ſi boni aſpiciunt, ſanatur poſt diametrum, ſed magna prius expertus pericula. Si autem lunæ in ♓ exiſtenti, ♃ aut ♀ pręſentes adſunt tempore cœpti decubitus, aut ſchemata porrigūt, ſanitas redit aut circa primū incepti curſus tetragonū aut diametrū. Magni aūt momēti apud te eſſe debēt & anguli cœli: ſi enim tempore cœpti decubitus beneuoli, aut in horoſcopo, aut in medio cœli ſint repoſiti, luna autem eſt in ſchemate tetragono aut diametro, malorum non leue eſt inde ad conſequendam ſalutem auxilium. Si contrà maleuoli ſint in horoſcopo, luna autem eſt in ſchemate bonorum, magnum eſt ſalutis futuræ impedimentum. Operęprecium eſt igitur optimum medicum meminiſſe ſemper præceptorum mathematices, diſquirere diligenter diem & horam decubitus: cō

ſpicere deinde ſitum cœli, ſine conſenſu cuius ni
hil uſquam fieri poteſt. Si decumbat aliquis exi-
ſtente in ♓ luna, cauſa morbi procatarctica eſt,
uel importuna lotio in balneo, uel nuda deambu
latio, uel frigida potio. Statim autē cōpatitur ner
uoſum genus præcipue ſtomachus: adeſt febris,
adeſt ſpirādi difficultas, aſtrictio alui: calor tamē
maior in profundo quàm in membris extremis:
pulſus adeò fiunt parui ut uix eos percipias, im-
mutantur tamen ſubitò, ita ut infra horas duas
diuerſitatem in illis agnoſcas: uenter autem flui
da excernet, urinæ male olent. congruent huic
uſus refrigerantium. Quod ſi luna in primo in-
cepti curſus, tetragono curſus ſuos augeat, icta
Saturni aliquo ſchemate, ſanari quidem poterit,
ſed cum magno periculo. Si autem luna in ♓ exi
ſtens, ♃ & ☿ ſchemata habeat, eædem morbi
cauſæ erunt, quas antè diximus: in hoc tantum
erit diuerſitas, quod uentriculi dolores ſuperad-
dentur, quibus debilitantur, uarianturque pul-
ſus. Si autem luna motum ſuum medium exce-
dit, Saturni icta ſchemate, ultra primum incepti
curſus tetragonum non uiuet. Quod ſi ♀ quo-

quo modo lunæ det sua præsidia, morbus usque ad diametrum protrahitur, ex quo tandem dysenteria subsequetur, pallores, tumores pedum, macies totius corporis, qua consumpti tandem moriuntur infirmi. Si uero luna excedens motum suum medium, Martis & Solis schematibus feriatur, eædem erunt morbi causæ, quas diximus: febres tamen continuò magis assurgent, phlegmone hepati additur, extrema uruntur. Oportebit uero hora opportuna cibare infirmum, cibo qui magis nutriat. Natura uero huius signi interdum non admittit euacuationem sanguinis per phlebothomiam. Nisi uero beneuolus aliquis aspiciat, morietur in diametro infirmus. At si ♃ aut ♀ inspiciat, luna uero motus suos minuat, periclitandū quidem infirmo est ex iis, quas antè diximus, causis: circa diametrū tamen sanatur, præsertim si in curando medicus non erret. Aduerte autem ad Iouem & Venerem: si enim horum schemata luna habeat, ipsa uero motum augeat, Martis & Solis schematibus oppressa, nihil inde est auxilij, moritur infirmus. Vellē autem ut eorum quæ hucusque dixi-

mus præceptorum recorderis, non ſolum circa decubitus, ſed etiam circa illata uulnera, circa partus mulierum, & alia quæ hominibus accidunt: inde enim ſcies quando opportune chirurgiam, aut curationes alias quæ ex delectu & arbitrio fiunt, ægrotis adhibere debeas: ueluti, exẽpli gratia, in dilatatione pupillæ oculorũ, in glaucomate, in ſuffuſione. Chirurgiam primum incipies quando luna lumen & motum ſuum auget, beneuolorum ſchematibus expoſita. Vtile eſt te ſcire & illud, periculum eſſe excalefacere corpora quando luna auget lumen ſuum & motum, cui Mars aut Sol iungatur, uel ſchemata obyciat. Periculum item refrigerare corpora quando luna minuit motum ſuum & lumen, cui ♄ aut ☿ præſens iungatur, uel ſchemata obyciat. Quãdo uero uno die & eadem hora duo decubuerint, animaduerte ad ætates illorum, ac eas mutuò ſibi conferas: iunior enim citius ſanatur & facilius (pro diuerſitate morborum quos iam circa ſingula ſigna diligenter examinauimus) ſi luna minuat motum ſuum & lumẽ, Saturni uel Mercury ſchemati expoſita: ſenior autem aut tranſ-

mutationem faciet morbi in alium morbum, aut longiori tempore sanabitur. E diuerso iuniori maius incumbit periculum circa incepti cursus tetragonum, aut (sicuti iam docuimus) diametrum, si luna augeat motum suum & lumen, Martis aut Solis schmati exposita. At uero si luna seiuncta à commertio malorum, solum schamatibus bonorum exposita fuerit, iuniores & seniores sanantur pro diuersitate affectuum quos circa singula signa exposuimus. Hęc uero ego tibi nunc adiunxi, ut tu fretus consilio absolutissimo, in omnibus sis absolutissimus.

CELEBERRIMO ET ORNATISSIMO VIRO DOMINO Valentino MorauusKi bonarum artium & medicinæ doctori Iosephus Struthius. S. D.

QVas ad te per aliquot iam annos mittebam litteras uir eruditissime opinor nullas tibi esse redditas, hoc inde colligo quòd mihi nihil hucusque responderis. Nunc optarim saltem has una cum munusculo tibi redditum iri. Mitto ad te libellum Galeni nunquam ante a latinum uisum, memoris mei gratique erga te animi indicem, quem ego tibi uerbis meis propterea commendare nolo quòd sciam Galenum esse omnibus commmendatissimum, Galenum esse in medicina principem excepto Hippocrate, delectabit certe scio studiosos omnes ex hoc libello cognoscere furta medicorum Arabum, uidere quàm longe à tergo relicti sint a Græcis Latini, experiri quàm multum referat aliquid haurire a fonte non a riuulis. Nollem uero existimes me hoc solum munere tuæ tantæ erga me humanitati satisfacere uelle, bene enim sibi conscius est Struthius quantum tibi debeat, cui tu sanguinem tuum si quid prodesset substantiam tuam totam si ipse egeret ultro impertires, quod maius est scientiam tuam omnem si fieri posset in me libenter infunderes, id quum alias satis mihi luculenter declaraueris tum uel potissimum illo tempore quo Mathematices & Philosophiæ prima elementa me doceres, fideliter & exanimo, ita ut nihil mihi minus deesset quàm præstantissimus præceptor, quæ causa sola sufficeret cur necesse sit, si per undecim hosce annos quos ego sua

ſu tuo ſub alijs præceptoribus in inceptis à te ſtudijs diligen
ter deſudaui, aliquid mihi ſupra inſtitutionem tuam accęſſit,
me tibi iure Ariſtotelico totum ad ſcribere, iubet enim ille
nos primis inſtitutoribus accepta ſtudia referre, & ſi hoc pa
rum eſt nihil moror quin antiquiore iure Platonici illius
ὢν ἀπτελαργῶν me tibi uniuerſis meis officijs nunquam ſa=
tis pro merito reſponſurum affirmes, eſto ita ſane, mea igitur
intererit modis omnibus dare operam, ut ſaltem aliqua ex
parte te demerear mei amantiſſimum. Incępi nuper uertere in
latinum commentario, Galeni ſuper chirurgica Hippocratis
dignos profecto qui aureis ſcriberentur litteris, hos ſi deus
uolet & iudicium grauiſſimorum in Italia uirorum mihi re=
fragatum non fuerit proxime es a me habiturus, uale anime
mi libet enim mihi eodem modo tibi uale dicere quo tu me ſa
lutare conſueuiſti datum Patauij. 3. Ianuarij. 1525.

GALENI DE VRINIS IOSE pho Struthio Polono Interprete.



RINARVM differẽtiæ multæ quidẽ particulatim existunt: primæ tamen ac precipuæ sunt duæ, humor scilicet, & ea quæ humori inhærẽt. Humorẽ aũt uoco id quod re ipsa urina est: inherentia uero ea q̃ diuersa à superfluitate humorali in urina apparẽt. Rursus uero humoris ipsius differẽtiæ in totidẽ secãtur partes, duę siquidẽ sunt, substantia nẽpe, & color. Vtrunq; aũt horũ in diuersa partiri licet: substantia enim alia est tenuis, alia grossa, alia mediocris. Eã uero quæ mediocris est, quũ secundũ naturam se habeat, diuidere non licet. Cęterũ tenuis & grossa bifariã diuiditur: urina enim tenuis, aut mingitur tenuis, & permanet tenuis: aut mingitur tenuis, sed turbatur tandem, & efficitur grossa.

Quid indicet urina quæ mingitur tenuis & manet tenuis: quæ mingitur tenuis sed turbatur.

Prior quidem extremam indicat cruditatẽ, natura enim nondum coctionem incipit: altera autem quæ ex tenui reddita est turbida, indicat

naturã iam primo agressam esse coctionẽ. Et tenuis quidem urina ita diuiditur, idq́; quod diximus significat.

Quid significet quæ mingitur grossa & permanet grossa: quæ mingitur grossa sed redditur clara. ca. 3

At grossa simili modo aut mingitur grossa et permanet grossa, aut mingitur grossa, sed redditur tenuis: prior quidem indicat uigorem agitationis quæ est in humoribus grossis & flatuosis, cum qua adest uel affuturus est dolor capitis, propter conturbationem ac euaporationem humorum. Altera autem ebullitionem grossorũ humorum, sed tamen naturã incipere secretionem eorum indicat. Et hę quidem sunt humoris quo ad substantiam differentiæ. Quum uero in priore partitione mẽtionem etiam fecimus differentiarũ quę à coloribus capiuntur, iam deinceps eas exponamus. Prima igitur est urina alba, hanc sequitur pallida deinceps ruffa, quarta est flaua, post hanc rubra, ultimo nigra. Et extremæ quidem sunt duæ, alba & nigra, reliquæ autem mediæ inter has. Est igitur pallida proxima albæ, ruffa autem lõgius distat

ab albo, propior pallido: è diuerso autem rubea proxima est nigræ, longissime distans à ruffo & pallido. Flaua autem peculiarem ac propriã habet mixtionem, ita ut gemini coloris esse uideatur, partim ruffi, partim rubei: quare in libro de Crisibus non abs re huiusmodi urinam ad splendorem uergere diximus: splendorẽ enim à ruffo, nitorem autem à rubeo accipit. Ergo ordine quodã mutuò à se inuicẽ urinæ hę coloribus differũt, alba, pallida, ruffa, flaua, rubea, nigra. Fit autem pallida quũ modicum choleræ serosę humiditati accedit: ruffa autẽ fit quãdo plus choleræ additur: rubea fit à sanguine, nigra uero à nimia exustione, & ab alijs causis, ut paulò post dicetur. Alba autem indicat extremã cruditatẽ ac desperatam coctionẽ. Hæ igitur sunt urinæ, quatenus humor est, simplices differẽtiæ in substantia & colore: reliquum est ut cõplicatas cõnexasq; dicamus, quales scilicet sint, quæ deinceps simul connecti possunt, quæ item non possunt, & si connectantur quid significent.

De tenui & alba urina.

Sit igitur urina quo ad substãtiã suã minime.

cocta, talis uero est tenuis: cui ita ꝑmanenti tenui, annectatur color exquisite albus, ut sit ea urina tenuis & alba: hæc multa significat. Aut enim imbecillitatem uirtutis ostendit sicut in senibus, & in morbis diuturnis, in quibus ut plurimũ apparent urinæ tenues & albæ. Tales etiã in nõnullis qui natura imbecilles uires habẽt, uidentur. Interdum significat obstructionẽ renũ, quod cognoscetur ex dolore loci affecti: aut obstructionem hepatis, ut in iis qui quartanis affliguntur febribus. Grossitie enim sua melãcholici humores obstruentes uias, solent huiusmodi urinas efficere. Indicãt uero tales urinæ & aliud diuersum ac summũ malũ. Si enim in causonide & urente febre appareat urina tenuis & alba, significat phrenitim. Quũ enim febris ipsa urẽs indicium faciat plenitudinis & abundantiæ biliosi humoris, urina uero non tingitur, manifestũ est quod biliosus humor non retinetur in uasis, sed leuitate sua cerebrũ insilit. Si quidem igitur nondum adest phrenitis, urina existente tenui & alba, febre uero causonide, prędicimus phrenitim futurã: si uero adest phrenitis, urina uero

eiusmodi est, predicimus mortẽ ut plurimũ. Neque enim poterit uirtus cerebri seruari, cui ingruit tantus acutæ mordacisq; choleræ impetus. Hęc igitur significat urina tenuis & alba.

Quid significet tenuis & pallida. ca. 6.

Sit iterũ urina quo ad substantiam cruda. i. tenuis, quo ad colorẽ autem modice cocta, quæ sit tenuis & pallida, talis debilitatẽ uirtutis significat. Quãuis enim urinę quo ad colorem facile coctionẽ habeãt, longe tamen est deterius incoctam esse quo ad substantiam.

Quid indicet tenuis & ruffa. ca. 7.

Sit urina tenuis, cui annectatur color ruffus: talis melior quidem est priore, est tamẽ cruda quo ad substantiam.

Quid indicet tenuis & flaua. ca. 8.

Sit urina tenuis & flaua, hæc non solũ malã coctionem indicat, sed etiam defectũ alimenti, id quod in iuuene ieiuno reperitur. Interdũ ostẽdit calorẽ multũ in profundo, biliosum succũ gignere, id quod fit in febre tertiana, indicat & uigilias: ac animi perturbationes. Hęc omnia flaua urina efficit.

Quid significet tenuis & rubea.

ca. 9. Proponatur iterũ urina quo ad ſubſtantiam male cocta, tenuis, rubea, talis nũquã reperitur. Si enim rubeus color in urina à ſanguine fit, ſanguis uero à perfecta coctione, coctio autem ſubſtantiã ingroſſat, manifeſtũ eſt quod rubedo in urina cũ tenuitate conſiſtere non põt. Quod ſi aliquando reperiatur tenuis urina cum rubore, color ille exquiſite rubeus non eſt, ſed eſt quiddam cruentum ſimile ſanguini.

Tenuis nigra.

ca. 10. Vltima aũt eſt cõnexio tenuis & nigri, hęc etiam nunquã reperitur. Color enim niger fit, propterea quod melancholicus humor per urinas purgatur: aut fit à frigiditate nimia, aut à nimia ſanguinis aduſtione: hæc uero tria groſſitiem ſibi uendicant.

Quo modo tenue cum nigro non poteſt conſiſtere.

ca. 11. Quod aũt tres, quas diximus, urinæ nigræ differentiæ, groſſam ſibi ſubſtantiã uendicent, manifeſtũ eſt. In remiſſione enim febris quartanæ, & ſolutione melancholici humoris, urinæ apparent nigrę: redduntur aũt nigræ, propterea quod humor nigræ bilis per has expurgetur, qu

sua substantia terreus est & grossus, quare & urinas efficit grossas. Simili mõ & hę urinæ quę ex assatione adustioneq; sanguinis nigræ fiunt, grossas esse oportet, ustio enĩ nimia exiccat humiditatẽ sanguinis: unde cõstat quod ẽt grossam efficit eius substantiã: quare & urinæ grossæ fient: à sanguine enim & coloris ĩmutationẽ accipiunt, & substantiæ usti sanguinis grossitiẽ referunt. Frigiditas uero quia ingrossat alimentũ, etiam urinę substantiam faciet alimento similẽ: ita igitur urinæ fiunt grossæ, ut docui.

Grossa alba.

Et de cõnexione substãtiæ tenuis cũ diuersis urinæ coloribus, hæc, quę diximus: sufficiãt: superest ut de altera substãtiæ differentia disseramus. Sit igitur urina grossa, cui ita ꝑmanenti grossæ color albus accedat: talis urina maximã esse in corpore crudorũ humorũ copiã indicat.

Grossa ruffa, grossa flaua, grossa pallida.

Proponatur grossa & pallida, hæc non põt in cõnexionẽ uenire. Neque etiã grossum & ruffum, neq; grossum & flauũ simul cõsistere possunt, colores enim hi propter defectũ nutrimen

ti fiunt ac debilitatem uirtutis: grossum autem à contrarijs fit causis. quare manifestum est quod ruffum, aut pallidum, aut flauum, simul cũ grosso permanere nequeunt.

Grossa rubea.

Sit urina grossa & rubea, huiusmodi enim urina reperitur, significat plenitudinem sanguinis, ut fit in synochis febribus.

Grossa nigra.

Sit grossa urina & nigra, talis ẽt reperitur, & significat euacuationẽ humoris melancholici, id quod multoties fit in declinatiõe quartanarũ & alias in solutione melãcholici humoris. De urinis uero nigris, q̃ fiunt aut ab adustione, aut à frigiditate, postea dicemus. Et hæ quidem sunt grossi cum ijs, quos diximus, coloribus cõnexiones: iam uero incipiamus agere de ijs quę inhærentia uocauimus.

De eo quod residet ab urina, & est album, planũ, inæquale

Esto igitur primum in ordine eorũ quæ dicturi sumus id quod residet, (quod sedimentũ uocemus) albũ supremũ locũ occupans, planũ, sed inæquale, id est, uno die coctum, postero die

non coctũ: tale debilitatẽ indicat uirtutis, q̃ non pôt ex æquo omni tẽpore materiã concoquere.

Sedimentum album non planum.

Sit uero quod residet album inferiorem locum tenens, non planum sed diuulsum, hoc deterius est priore, illud enim ostendebat naturã capacem esse inæqualitatis in spatio multorum dierum, hoc uero in una coctione, id quod deterrimum est, ac ueluti autumnus propterea malus esse dicitur quòd est inæqualis, si tamẽ inæqualitatem suam operetur in spatio quatuor uel quinq; dierum minus est malum, si uero una die longe peius est, sic & sedimenta diuulsa peiora sunt quoniam indicant naturam in una coctione defecisse ob distractionem, distrahitur uero natura a flatibus qui inter succos intercursant ac dirimunt cõtinuitatem eorum adeo ut reddant illos rebelles. Si igitur supponamus sedimentũ habere se secundũ naturam quo ad colorem & locũ, præter naturam autem in substantia, quis dubitabit longe deteriorẽ esse defectũ substãtiæ?

Non planum æquale.

Primum sit de numero æqualium sedimẽ

torum, id quod est diuulsum, tale procul dubio malum est, indicat enim copiam grossorum flatuosorumq; humorum, qui a natura extenuari non possunt.

Non planum inæquale.

Sit aliud diuulsum & inæquale id est alio tẽpore tale apparens alio diuersum, hoc priore est melius, indicat siquidẽ flatuosos succos esse paucos qnos natura cito discutiet & tenues reddet. Et mirum sane est inter opera naturæ inæqualitatem aliquando meliorem esse ęqualitate, quod merito sane ita euenit, mala enim si eundẽ perpetuo uigorem habeant deterrima sunt. Sicut & pulsus arteriarum si semper & continuo debilis existat periculosus est, si uero aliquando debilis aliquando non debilis minus est periculum, eodem modo sedimentũ diuulsum inæquale minus malum est sedimento diuulso & æquali, & hæc quidem de ijs dicta sufficiant.

Suspensum album æquale planum.

Sit aliud diuersum a prioribus sedimẽ quod quo ad colorem sit coctum & sit album nõ obtinens locum inferiorem sed medium, planum in substantia, æquale in tempore, tale indicat bonũ

coctionem sed tamen non omnino perfectam, id enim non est hypostasis, loco tamen solum differt ab hypostasi, causa autem diuersitatis loci est abundantia flatus qui immiscetur succis, si n. flatus ipse grossus sit nec exacte per coctionem extenuetur resoluaturq́;, id quod residet ab urina sua quidē crassitie tenderet deorsum & submergeretur, sed flatus ipse trudit illud atq; attollit aut ad supremam superficiem & tum uocatur nubecula, aut ad mediam regionem, quod tum uocatur suspensum. At uero si nulli sunt omnino flatus, ipsum quod residet profundiore parte inferiorē occupat locū uocaturq́; hypostasis, & de suspenso quidē id mihi dicendū fuerat.

De hypostasi & nubecula. ca. 21

Tria hęc igitur quæ diximus diuersa sunt tantummodo situ, situs autem uariatur per flatum, flatus autem generatur coctione, coctio uero quando sufficiens & perfecta fuerit flatum resoluet & exinaniet, propterea hypostasis perfecta perfectam indicat coctionem, si autem uētositas illa præ grossitie extenuari resoluiq́; non possit, relinquetur in humoribus quæ erit uestis

gium coctionis humorum non equidem perfe-
ctæ sed mediç inter crudos & coctos, hæc autē
si non multa fuerit propellet sedimentum ad re-
gionem mediam si multa ad locum supremum
eritq́; nubecula quę etiam signum est coctionis,
quidcunq;.n.fuerit quod ab urina residet coctio
nem significat, eam tamen minus bonam, si mul
tum & grossum fuerit. Clarū est igitur quòd ex
situ sedimentorum nihil plus discimus quā mo-
dum & mensuram coctionis. Si tamē nigrū erit
id quod residet signum est perniciosum, minus
uero est perniciosum si solum id nigrū est quod
in medio iacet ac multo minus etiam si nubecu-
la, si uero id quod in imfimo est ueluti hyposta-
sis longe est perniciosissimum, sufficiant uero
hæc dicta de situ, qui neq; bonum neq; malum
significat sed modum & mensuram boni & ma
li. Quum autem in eo quod residet quatuor no-
bis consideranda sint, color scilicet, locus, sub-
stantia, & tempus, superest ut de colore iam dis
seramus, quum de substantia tempore & loco
iam satis diximus. Color autem alius est natura
lis ei quod residet, & est albus, alius pręter natu

ram, qualis est niger, fuscus seu liuidus, pallidus, rubeus, de quibus iam agamus.

Color sedimentorum rubeus quid significet.

Sedimentum rubeũ fit a copia cruoris id est sanguinis incocti, significat autẽ coctionis defectum non tamen mortem, quum enim succus is sit benignus & amicus naturæ magnum periculum inferre non solet, quia tamẽ indicat cruditatẽ, faciet morbũ diuturnũ id aũt ex eo quod dicturi sumus intelliges. Humores quidam generãtur ex phlegmate sicut phlegma, & id quod proprie dicitur cruor, quidã generantur unà cũ sanguine, sicut flaua bilis & nigra bilis. Quãdo igitur in urina sedimentum uidetur rubeũ, indiciũ est quòd a cruore colorẽ accepit, cruor autẽ fit antequã sanguis fiat, si ergo natura nõdum proprio colore tinxit sanguinẽ manifestũ est quòd nondũ perfecte coctus est, eo tamẽ indiget natura ut progressu tp̃is ex illo faciat sanguinẽ, quid igitur significet sedimentum rubeũ iã diximus.

Vide hic duas differentias phlegmatis.

Quid significet nigrum.

Sedimentum autẽ nigrũ aliquando frigiditatis est indicium interdũ caliditatis, discernetur

uero alterũ ab altero hoc modo, si antecessit liui
dus postea subsequutus est color niger, indicatio
nẽ facit frigiditatis, si uero ãtecessit croceus sub
sequitur uero niger caliditatem indicat.

Quid significet liuidum.

Liuidum autem frigiditatem indicat & in-
ternitionem uirtutis.

De speciebus oleaginorum.

Ex oleaginis urinis alia est elæochra, alia
elæophane, alia elæode, prima principium indi-
cat colliquationis adipis totius corporis, est uero
ea colorẽ olei retinens, elæophanes autẽ habet
aliquid magis simile oleo quod supra urinã insi-
det, significatq; augmentum colliquationis, elæo
des est quæ tota sui substantia, & undiquaq; est
ueluti oleũ quæ indicat statum & summum ui
gorẽ colliquatiõis. Sunt aũt hæ urinæ etiã ex col
liquatione adipis renum, extant tamẽ cautiones
quibus hoc discernas quarũ meminit Hippocra
tes in aphorismo de resolutione adipis renũ ubi
dicit, quibus insidens pingue ac simul totum ijs
renum uicium acutũ significatur, ipsemet do-
uit discernendi modum quum addidit simul to

tũ, in colliquatione.n.totius corporis adipes colliquati paulatim id est tarde, & non uniuersim cum urina exeunt, recipitur.n.adeps a uenis mẽbris uicinis deinde ab iys quæ continuãtur & rursus ab alys & aliis donec tempore protracto ad renes & uesicam perueniat, adipis uero in renibus colliquati propter uicinitatem transitus celerrima est excretio & non paulatim, hoc igitur est quod dixit Hippocrates simul tota id est celeriter, hęc de oleaginis.

Quid significet hypostasis oroboides.

Quum autẽ caro ipsa liquatur disoluiturq;, facit hypostases oroboides.i.similes orobis, quas ut bene discernas animum aduerte ad coctionẽ aut cruditatem, aut febrem præsentẽ.Si.n.adest febris liquatio erit carnis totius corporis: si uero non aderit febris, erit uitium renum, & rursus si adest cruditas urinarum, totius corporis liquatio est, si coctio adest sedimenta uero orobina appareant uitium est renũ.Nec sine causa cruditas incessit quando morbus est totius corporis ea.n.uasa quæ coctionem conficiunt, male etiam affecta sunt, in uitio autem renum crudi-

tas non adest, renes enim non sunt instrumenta coctionis urinę, hęc de colliquatione carnis & adipis.

Quid significet hypostasis petaloides. ca. 27.

Quando solida membra male sunt affecta abraduntur primum ut plurimũ & reddunt urinas petaloides id est habentes hypostases ueluti squamas, sunt tamen & hæ aliquando a uicio uesicæ, discernes autem hoc ex hys quę iam diximus de uicio renum si enim adfuerit febris, totius corporis est uitium, si non adfuerit febris, uitium est uesicæ, si cruditas adsit totum corpus est affectum, si coctio adsit uesica.

Quid significet pityroides. ca. 28.

Quando febris, profunda corporis uasa corripit ac dilacerat; hypostasis fit pityroides id est quæ habet quiddã simile furfuri, quod exilius quidẽ est squama sed grossius, id uero etiã uiciũ uesicę aliquando indicat, discernitur autẽ hoc eo quo diximus modo, si enim adfuerit febris, uitiũ est totius corporis sin minus uesicæ.

Quid significet crimnodes. ca. 29.

Postea quã uero febris ipsa longe lateq; maiori ui quã in superioribus uicys solida membra

corripuerit

corripuerit, facit deteriora ſedimenta q̃ erant illa quæ ſpetiem furfuris referebant, quæ uocantur cri mnodea.i. farinę ſiue etiam ſpumæ ſimilia, hæc ue ro duo ſignificant, aut cremationem ſanguinis aut liquefactionem ſolidorum nimiam, & ſiquidem al ba fuerint quæ reſident ſolidorum membrorum eſt uitium, ſi uero rubea extiterint ſanguinis crematio.

Quid ſignificæt eruenta fruſtuloſa.

Indicat hepar eſſe ulceratum, cuius ſubſtantia diſſoluitur, & partes quidem huius ſedimenti ſubti liores, hn̄t colorē cruoris, craſſiores autem ſunt ſimiles ſandaracæ quæ ut plurimum portendunt mortē infirmis, aut ſi ſuperuixerint hydropem.

Quid ſignificæt fœtida.

Fœtidæ autem urinæ indicant putrefactionem & internitionem uirtutis futuram.

Reſtat uero nobis ſpeculari de humoris urina rij cum ſedimentis connexionibus ac dicere quid ſignificent, hæc.n. cōnexiones quas hucuſq; explicaui mus erant uel ſolius humoris urinarij, quas primo loco ediſſeruimus, uel ſolius ſedimenti quas ſecūdo loco expoſuimus, nunc autem & humoris & ſedimē ti ſimul connexiones complicemus, & exponamus

quid significet quęlibet complicationis differentia.

De tenui & albo. ca. 32

Proponatur igitur primo urina nō cocti humoris q̄ est tenuis, nec cocti coloris qui est albus, in tali urina nunq̄ pōt existere sedimentum, tenuitas.n. significat defectū materiæ nutrimenti ex qua fit id quod residet. Ad hæc in tenui quod ꝑmanet tenue esse sedimentum, simulq́; eße urinam pallidam aut ruffam, aut flauam est impossibile, in iis.n. natura priuata nutrimento cōuertit se ad colorē faciendū, quare si uolumus conficere connexiones humoris urinarii cum sedimentis, tenue abyciamus a proposito proponamus uero grossum.

Grossum album non planum. ca. 33

Sit uero urina colore alba, substantia grossa, in hac potest residere sedimen, quod sit album sed nō planum. i. diuulsum, in talibus enim crudorū succorum copia colligitur quæ licet coctionem coloris admittat, substantiæ tamen minime.

Grossum rubeum non planum. ca. 34

Sit alia großa cui inditus sit color rubeus (pallido.n. ruffo & flauo ob eas quas diximus cās grossum cōnecti nō pōt) si igitur rubeo misceatur grossum, id quod sepius accidit in synochis febribus, si

gnum est malę coctionis & in humore & in sedimẽto, tum quo ad substantiam tum quo ad colorem utriusq;, humoris scilicet & sedimenti.

Grossum nigrum non planum.

Sit urina alia grossa & nigra, hæc non cocta est nec colore nec substantia, tã humoris urinarij q̃ sedimenti. Et hæ quidẽ sunt connexiones urinæ grossę q̃ remanet grossa. Sit uero urina quo ad substãtiam mediocris, cui annectatur color aliquis, hæc alba eße non poteſt, s.n. alba est cruda est. Esto tñ appareat urina mediocris substantię, & alba, mirum profecto erit quomõ natura mediocrẽ substantiã faceret, colorẽ uero nõ decoqueret, quũ illud maioris sit negocij & difficultatis. Mediocre igitur cũ albo consistere non põt, raro autẽ cum pallido, nisi abundans humiditas aliunde cholerę aduenerit. Color quoq; ruffus aut flauus cũ mediocri urinæ substantia non põt cõmunionẽ habere, quòd si aliquãdo habeat, in illis tñ nihil residet, proinde & has urinarũ cũ sedimẽtis cõplicationes ut inanes obmittamus.

Quæ urinæ sunt malæ.

Virides seu liuidæ, nigræ, cruẽtę, nimiũ grossę, ruffæ supra modũ, ruffæ simul tenues, carentes hy

postasi, periculosæ sunt fœtidæ, pingues, oleaginæ, & hę quæ excedunt copiam potus.

Nubeculæ & hypostases malæ.

Liuidæ, nigræ, obscuræ, uarijs coloribus distinctę, diuulsæ, & hæ quas ante uocauimus crimnodes, cruētæ, biliosæ, & exustæ, flegmaticę & fœtidę, urinę uero in quibus nihil residet sunt malæ. Hę igitur species urinarum significant plurimas causas diuersorum morborū, eorūq; augmenta, declinationē discrimina, prosperitatē, coctionē, cruditatē, modū insuper periculorū quæ futura sunt, eorū q̄ causas quarū multitudinē & uim considerare debet medicus cauereq; si quid ultra modum delinquitur.

De differentijs urinarum in hominibus sanis.

In morbis febrilibus utilissima est urinæ indicatio, qm̄ autē omne quod est præter naturā, cognoscitur per id quod est secundum naturā, idcirco urinarum notitia incipere debet ab ijs quæ secundum naturā se habent. Optima igitur urina est in ijs hominibus qui sani sunt, & bonam corporis habitudinem sortiti sunt, subruffa aut subflaua, mediocris crassitiei, talem colorē perpetuo obtinens qualis a principio uisus est, hypostasim retinens planā, æqualē, al-

bam, multitudinem autē pro mēsura & ratione potus. In mulieribus tamen urina secundū naturā albioris coloris esse debet, q̄ in uiris, habereq; hypostasim maiorem. In puerili uero ætate necesse est grossiorem esse hypostasim ꝓꝓ edacitatē puerorū & motus eorū importunos ac inordinatos. Quādo autem Hippocrates dicit hypostasim planam, uult significare nō diuulsam sed continuam, quādo dicit ęqualē, uult significare tū eā quę ꝑ omne tēpus similis est sui, ita ut si uno die sit cocta, postero die non sit cruda, tū eā quæ sedimentū & humorem urinarium habet nō distantē a se, sed totū sibi æqualē. In urina naturali considerāda sunt hæc, substantia, color, & id quod adhæret, qualis est nubecula; suspensum, & ea quæ in fundo est hypostasis, quòd si aliquid horū in urina immutatū fuerit, indicium erit non bonę coctionis in uenis.

Qualis urina optima est in ægrotantibus.

Optima in ęgrotis urina est ea quæ simillima est urinæ sanorū hoīum, suppallida aut subflaua, habens hypostasim albā planā, æqualē. Ab hac uero iā deficit quę suspensum habet albū, planum, æquale. Adhuc uero magis deficit, q̄ nubeculā habet albā

planã, æqualem. In quibus.n.extant humores grossi flatuosi, & incocti, si quidẽ pauci fuerint ꝑmittunt ad profundum matellæ materiam deferri, si uero abundantes fuerint eueniet hoc ut flatus qui in pro fundo est efferat hypostasim ad superficiem sum= mam urinę, & faciat eam quam diximus nubeculã. Quanto igitur flatus magis dissecauerit ac magis in altum sustulerit hypostasim, tanto minus cocta dicetur esse urina. In tertianis tamẽ exquisitis & in ephemeris febribus, sola nubecula aut suspensum, ad solutionem morbi sæpe sufficit, interdum sufficit & solus color urinæ bonus.

Quod non omnis hypostasis alba bonum indicet.

Sępe autem albus color eorũ quæ in urina resi dent decipit ignaros medicos, ita ut nesciant malã esse hypostasim quæ illis uidetur bona ac è diuerso bonam esse quæ illis uidetur mala. Accidit.n.aliquã do ut albus humor & crudus excernatur per uri= nam ac in imo subsideat, instar bonæ hypostasis. Aliquando affecto hepate aut renibus, pus per uri= nam excernitur & subsidet ita ut indoctos decipiat, sed hoc discernetur primum per dolorem qui præ cessit in renibus aut in hepate, aut in aliquo mẽbro

alio, quod solet per urinas expurgari, deinde per fœtorem quem obtinet pus. Crudus autem humor discernetur a bona hypostasi per inæqualitatē substātiæ, neq; n. humor crudus ꝑmanet sibi cōtinuus sed diuiditur in exiles & minutas partes ueluti harenulas, neq; planus est omnino sicut uera hypostasis. In bonis autem urinis primum quod apparet est nubecula, deinde facto descensu apparet id quod uocauimus suspensum, in fine aūt posteaquā iā carminata est, subsidet in profundo facitq; hypostasim ex quo liquet coctā esse urinam. At in crudis humoribus a principio delabitur multitudo non pauca in profundum matellæ (interim & totius urinę color est malus) deinde successu tp̄is extenuata multitudo cōcoctaq; attollitur in mediū, facitq; suspensum. Posteaq̄ uero magis adhuc extenuata coctaq; (quo ad eius fieri poterit) extiterit, insidet ut plurimum in alto, faciens nubeculam, quæ idiotis imponit ut opinentur morbum labi in deterius.

Finis de urinis Galeni.

Venetijs per Ioannem Antonium de Nicolinis de Sabio. M. D. XXXVI.

Errores qui oculos chalcotyporum effugerant.

Folio. 6. pagina. 2. pro uuis mulsum lege mustum, folio. 9. pagi. 1. in margine pro ex lib. ii. & iii. Galeni, lege libro. ii. & iiii. folio 55. pag. 1. pro insignum medicorum, lege insignium. folio. 79. pa. 2. linea penultima adde hæc quæ ibi desiciunt, quam nostri satureiam uocant speties conizæ est secundum Columellam, & re uera ita est, folio. 81. pagi. 2. pro coytla lege cotyla. folio 83. pa. 1. pro alysium lege alysum. folio. 86. pag. 1. pro alterius uitiis lege alterius uitis. folio 88. pag. 1. pro oleum symærum & candidum, lege oleum sincærum. folio 109. pag. 1. lege παρεγχύσεις est autem, folio eodem pag. 2. lege ὡς φακοί, folio 124. pag. 1. lege pulsus debiles ac submersi. folio. 126. pag. 1. lege ex paruo motu in maiorem prouehitur.

